6
20-d
24

6
9 C
63

Bibliotheca
Coll. Rom.
iet. Jesu

20
f
8

Digitized by Google

Digitized by Google



·S·MARIA DEL ROSARIO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

P. FRANCISCI ACERBI

È SOCIETATE IESV

DEIPARÆ VIRGINI ROSARVM AREOLÆ.



SOC. IESV. BIBL. SEC. COLL. ROM.

NEAPOLI,

Apud Nouellum de Bonis Typograph. Archiepiſc. 1680.

Superiorum facultate.

Digitized by Google

P. FRANCISCI ACERBI

E SOCIETATE IESV

DEIPARÆ VIRGINI ROSARVM AREOLÆ.

BIBL. SEG. COLL. ROM. SOC. IESV
IHS

NEAPOLI,

Apud Nouellum de Bonis Typograph. Archiepiſc. 1680.

Superiorum facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER PRIMVS

Lectori Beneuolo.

HAbes, humaniſſimè Lector, hoc in Deiparæ obſequium à me elaboratum, Pietate cultrice Roſarium, contrito vocabulo, ſic appellari conſuetum, ad exprimenda in Virginis laudes, melicè cantata alternatim, diuina myſteria. at rogas, vnde mihi iniecta hæc cogitatio, & noua ſcribendi cupiditas; videbam, per hæc tempora aliquos ſic florum deperire culturam, vt culturam in hanc, omne ſtudium, vires omnes, omnem cogitationem, omnia vota operosè traducerent. Et verò eſt ſanè mirabilis, in hoc ſtudio quorundam ingenioſa ſolertia, an potius voluptuoſa dementia, & flos inſaniæ in male ſubacta mente pubeſcens? toti ſunt hi domeſtici veris, ſed ſine vlla maturitate cultores, in formandis areolis, vel in gyrũ circũductis, vel quadrata figura conſpicuis. Sternunt laterculo ſemitas, ita ad menſuram partito, cõpoſitoque, vt deſudatum circini opus, non reus temeritatis affirmes: arundineis areolas vallant ſepimentis, ac cratibus, concinnè affabrèque contextis; an in præſidium, ne qua manus audeat furtiua decerpere, an in decus,

dignum quod veluti verendum, per crates religiosè conſpiciatur, & per cancellos, Sacrarum more veſtalium, obtutus, parcè, ac reuerenter admittat? Iam verò quanta in procurandis floribus cura, & ſolliciti laboris induſtria? iam viluere roſaria, & florum regina roſa, ne in famulatum quidem in hoc floridum gynæceum admittitur, probroſo ſuffuſa rubore, in tanto deſpicientiæ dedecore. Argenteus liliorum candor veluti ſordidus in pretio nullo eſt. Violæ ob indictum ſibi exilium, pallenti mærore tabeſcunt. Hyacinthi expreſſis in fronde querelis, & notis lamentatione pleniſſimis, niſi tuberoſi ſint, vt vulgus appellat, vix in hæc areolarum clauſtra, & florum ſacraria ingreſſum impetrabunt ſupplices, querulique. Mitto aliorum florum turbam, quæ nec in cuſtodiam ante fores admittitur, & veluti prophana repellitur. exoticæ florum cæpulæ, & peregrinæ quæruntur, atque ad longinqua, naſorum odora vota procurrunt. per ſyngraphas collybiſticas pecunia longè trāſmittitur, quæ florum has cæpulas, errabunda, ac volatica inueniat, inuentaſque reportet; ingemiſcente paupertate, hac florum exaſperata mollitudine. Nec verò hoc ſatis ad votum; annuus cenſus prò floribus alendis, reparandiſque in arca ſeruatur, & tam religiosè cuſtoditur, vt nefas ſit in

alios

alios vſus diſtrahi. quid non in tulipas; quid non in Adonidis florem,quid non in calthas, & ranuculos, exoticoſque flores,inopes,pauperelque vertimini? haberetis vnde annui redditus, & certa pecunia, non veſtro, ſed alieno parta labore, ad vos ſuffecta veniret, florentem ſemper experturi fortunam; iam verò quis ardor amoris in flores? quæ in illos cura ſollicita? prima poſt deterſas nocturni ſomni reliquias, cura eſt, in ſubiectas florum areolas obtutus intendere; mox feſtino pede, & curſu præpropero flores inuiſere, num è calice aperto folliculo feliciter eruperint? an hiulco labello matutini roris abundè laticem hauſerint? an iucundè renideant? an colorum varietatem, ad aucupium oculorum oſtendant hæc ſunt ingenioſa volumina, quæ lectitantur; his in areolis floreſcit ingenium; hoc in cultu, mentis cultura laborat. tanti videlicet emitur longi iactura temporis, fugax cum flore voluptas, breue ſolatium oculorum,& momentanea lætitia. Me verò ad iſtorum æmulationem inceſſit hæc noua cupiditas, has roſarum areolas in Deiparæ obſequium,non in hortulo,ſed in libello, ſcribendi, colendique: quando non ad tulipas, narciſſos, hyacinthos, alioſque flores exoticos colendos, ingeniũ mihi eſt, aut cenſus abundat, & quidem habent hæc Diuina myſteria,

neſcio quid affine cum roſis. Nam quinque myſteria gaudijs expreſſa cæleſtibus, gaudentis exprimunt pompam, & lætum vernantis roſæ virorem. Quæ dolores, ac cruciatus habent, ſpinoſos roſæ in ceſpite ſentes, promptos ad vulnera dumorum aculeos, imbutam Sanguine purpuram. Quæ triumphaliter exultant ad gloriam, regiam roſarum maieſtatem, viridem ſublimi è ceſpite thronum, haſtatum ad cuſtodiam de vepribus ſatellitium, purpureum ac ſplendidum, in ſubiectos ac populares flores imperium. Vnum tamen ſingulare, atque præcipuum habent hæc, quæ in meo libello, Deiparæ tibi ſunt oblata roſaria, operoſæ manus cultura non indigent, oculis luſtra, & mente reuolue: ſpondeo, hos flores nunquam ſine fructu futuros, nec votis ſpem fore fraudandam. habēt & hoc aliud ſingulare roſæ iſtæ virgineæ; quouis anni tēpore ſuis in areolis vernant, nec matutini roris defluuium, in ſubſidium viriditatis expectant; niſi forte lacrymarum, quas vnicè amāt, lectorum ab oculis pietatis ſenſu, & ardore profuſas. Nil ſibi à ſolis ardore, nil ab hyemis frigiditate, nil à gelu, mordaciſque brumæ rigiditate timent. Sunt extra has temporum vices, & noxias inclementis cæli mutationes. Secum habent vnde perpetuò floreant, & vitam, non ephimeram, vt cæteræ roſæ, habeāt.

At-

Attritu halabunt ſuauius, odoremque virgineum ſpirabunt; & ſi cordi admoueantur, pio mentis affectu, vernabunt ab æſtu cordis amœnius. Extremo loco monendus es, piè lector, nō ad poëmatùm leges, ac normam, à me hæc ſcripta roſaria, pietati conſului; poëtarum inuentis abſtinui, nec fui de carminis venuſtate ſollicitus, modo pietas ſimplicius in rudi verſu ſe animis inſinuaret, & myſteriorum affectus, candidius illaberentur in mentes.

Digitized by Google

ANDREAS DE PVTEO

Præpoſitus Prouincialis Societatis Ieſu in Regno Neapolitano.

CVm librum, cui Titulus apponitur, Deiparæ Virgini Roſarum Areolæ, à Patre Franceſco Acerbo noſtræ Societatis, Tres eiuſdem Societati Theologi recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; poteſtate Nobis facta ab Admodum Reu. P. Ioanne Paulo Oliua Præpoſito Generali, facultatem concedimus, vt Typis mandetur; Si ijs videbitur, ad quos ſpectat. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Societatis noſtræ munitas, dedimus. Neapoli die 9. Menſis Ianuarij 1677.

Andreas de Puteo.

Emi-

Eminentiſs. Signore.

IL P. Franceſco Acerbo della Compagnia di Gieſù humilmente ſupplica l'Em. Suà à commetter la reuiſione di due ſuoi libretti de verſi da ſtamparſi. *L'vno de Epigrammi* ſoprà varij fatti della Vita di Chriſto Sign. Noſtro. *L'altro intitolato.* Deiparæ Virgini Roſarum Areolæ, è riceuerà il tutto à fauor ſingolare dalla benigniſſima Clemenza di V. Em. vt Deus.

In Congregatione habita Coram Eminentiſs. Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neapolitano ſub 18. Martij 1677. fuit dictum, quòd Reu. P. Dominicus Iameo Soc. Ieſu reuideat, & in ſcriptis referat eidem Congregationi.

Franciſcus Scanegata Vic. Gen.

Ioſeph Imperialis Soc. Ieſu Theol. Eminentiſs.

Eminentiſſime Princeps.

IVſſu Eminentiæ Tuæ vidi libellos, quorũ alter inſcibitur. Epigrammi, ſopra varij fatti della Vita di Chriſto Signor Noſtro, alter inſcribitur: Deiparæ Virgini Roſarum Areolæ à florentiſſimo P. Franciſci Acerbi è Societate Ieſu ſtylo exarato; & nihil in ijs reperi, quod ſanæ ſanctæque Fidei, boniſque Moribus refrageturs imò omnia in ijs quæ ſã-

ctè comptam, & honeſtè ornatam Poëſim reddant. Typis igitur mandari poterunt, ſi ita Eminentiæ Tuæ videbitur. Neapoli 20. Decembris 1677.

Eminentiæ Tuæ

Omni Obſequio Addictiſs. Famulus

Dominicus Iamæus è Soc. Ieſu.

In Congregatione habita coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neapolitano, ſub 26. Ianuarij 1678. fuit dictum, quod ſtante retroſcripta relatione Imprimatur.

Stephanus Menattus Vic. Gen.

Ioſeph Imperialis Soc. Ieſu Theol. Eminentiſs.

Ec-

Eccellentiſſimo Signore.

IL P. Franceſco Acerbo della Compagnia di Gieſù ſupplicando eſpone à V.E. come intende dare alla ſtampa due ſuoi libretti, vno intitolato, Epigrammi ſopra varij fatti della Vita di Chriſto Noſtro Signore, e l'altro intitolato, Deiparæ Virgini Roſarum Areolæ. Supplica per tanto V.E. commetterne la reuiſione, acciò poi poſſa da V.E. conſeguirne la licenza, e beneplacito; & il tutto riceuerà da V.E. à gratia, vt Deus.

V. I. D. D. Carolus Buragna videat, & in ſcriptis referat.

Galeota Reg. Carrillo Reg.
Valero Reg. Calà Reg.

Prouiſum per S.E. Neap. die 6. menſis Febr. 1679.

Maſtellonus.

Illuſtr. Marchio Criſpani non interfuit.

Excellentiſſime Domine.

IN his P. Franciſci Acerbi poëmatis, quæ mihi legenda demandaſti, nihil continetur, quod regiæ poteſtati officiat. Porro ea iam pridem auctori quæſitam poëticæ facultatis, & ingenij laudem abundè cumulant: Et non

non modò omni elegantia, & ſuauitate referta ſunt, qua lectorem mirum in modum detinere poſſint, & oblectare; ſed, quòd longè præſtantius eſt, ad illius mentem ad pietatē, & cœleſtium rerum contemplationem excitandam plurimum valent. Poëſi namque Acerbus (laudabili prorſus conſilio, & ſuo inſtituto, & ante actæ vitæ conſentaneo) ad quod potiſſimum nata videtur, nempè ad Dei optimi maximi, & cœlituum laudes vtitur, quemadmodum veteres illi facere conſueuerunt, & Superiori memoria non pauci, ijque præſtantiſſimi viri. Typis igitur hac poëmata digna cenſeo, niſi ſi tibi ſecus videbitur. Neapoli 4. Kal. Martij 1679.

Excell. Tuæ

Seruus addictiſſimus.

Carolus Buragna.

DEI-

DEIPARÆ VIRGINI
ROSARVM AREOLÆ.
Ad Deiparam Nuntius.

DItis in exitium, & plutonia regna ruenda
Arma tibi ſuffecta vides, nulla Ægide pectus
Tam valida firmum, nullo munimine tanto
Seſe vnquam texiſſe queat; certamen ab hoſte
Tartareo aſſiduum qui ſuſtinet vlla, nec illi
Pax vnquam ſocialis erit. fiducia nulla
Expectanda datur; ſtygio cui ſemper ab orco
Pugna ferox reparanda venit, noctesque, dieſque
Ille atrox tibi bella ciet; meditatur iniquam
Perniciem vſque nouam; tecto ſe ſe induit aſtu,
Perque dolos tibi damna creat, victorque quieſcit
Non vnquam; victus neque pugna ceſſat inerti,
Semper hians inferre nouam. Quo vmbone trilici
Te tamen ipſe tegam? vel quæ lorica tuendis
Sit membris aptanda tuis? nil tale moleſtum
Præſidium tibi Muſa parat. non membra grauanda,
Ærata ſub mole gement. non ſpicula dextra
Sunt iacienda tua. non ictus enſe coruſco
Vibrandi. quærenda ſalus per vulnera non eſt;
Sufficiet vox vna tibi, terrore phalanges
Tartareas quæ abigat cunctas; lingua vna triumphum
Egregium ſine cæde dabit. tibi circulus omnis
Virgineus, modo voce pia prolatus; in hoſtes
Tormentum murale venit. Quod molle roſarum
Nomen habet, ſtygium ſpinis configet acutis,

Et trepidum dabit ire Ducem, non plumbea grando
Ære cauo iaculata; globi non impete tanto
Excuſſi nocuere magis, quàm calculus iſte
Ore pio dictus, bellantem ſternet Auernum.
Tu modò dum globulos percurris voce minutos,
Et prece vocali diuinam ritè Parentem
Ad tua vota vocas, myſteria mente reuoluas,
Et pia quæ condunt, meditabere ſenſa canendo;
Seù ſolus recites, ſeù alternis vocibus ores,
Et iungas ſociale melos. Nunc ordine pandam
Quid tua mens agitet ſolers, quid ſedula verſet
Pars animæ melior, dum vox prece ſupplice, Matri
Virgineæ toties, ſuetam canit ore ſalutem,
Æternum & toties compellat voce Parentem.
Principio, dilecta polo, genitura Tonantem,
Eſt animo volucri tibi Nazaris ora petenda,
Intrandique lares humiles, inopeſque penates:
Sed quid ego tenues appellem voce penates,
Iure, quibus ſpatia ampla Poli, conuexaque Cæli,
Sint oculis obiecta licet vaſtiſſima gyro,
Inuidiſſe queant? rutilis ſplendoribus aſtra
Optaſſent migraſſe loco, cæloque refixa
Nazariam tenuiſſe domum. Sol ipſe relicto
Orbe ſuo, cuperet grata vertigine volui,
Hos intra fines. Hic annua tempora lucis,
Et cunctos, ſine nocte, dies afflare ſerenos:
Cum nox atra ſuis non huc ſe inferre tenebris
Eſt potis; Auroræ ſemper cum fulgeat ortus,
Et puro candore micet. Nec currere ſigna,
Et varias ſtatione vices mutare per annum
Sol cupiet; ſtabilem pura qui in Virgine ſedem
Hic habet, & dios æterno vere penates...

Inde

Inde tibi ante oculos Ieſſeæ forma Puellæ,
Qua non vlla magis toto radiabit Olympo,
Qua ſuperùm flagrabit amor, verſetur. in ore
Quale iubar radiat? dij quæ gratia vultus,
Et frontis venerandus honor? Qui fulgor honeſtus
Lumina caſta tenet? regna hic fixiſſe pudorem;
Virgineumque putes. Decus hic ſua ſceptra tenere?
Hæc dum priſca animo vatum monumenta reuoluit,
Et ſacris animata notis oracla, futurum
Quæ Iſacia de Gente Deum, Numenque beatum
Promittunt, olim noſtro de ſanguine cretum
Humanos artus ſumpturum, & fœdera pacis
Iam dudum exoſis terris, generique rebelli
Laturum, amiſſi commercia mutua Cœli;
Primæuamque luem, & ſcelus exitiale parentum,
Illius effuſo per vulnera rore piandum
Sanguineo, & pœnas diuina cæde luendas;
Ecce tibi æthereis delapſus Nuncius aſtris
Cælituum Princeps. alarum penna volucris
Bina humeros expanſa tegit. per colla capillus,
Quale nitet! Solis radijs, diffunditur. oris
Maieſtas inſueta, nihil mortale referre
Viſa, licet ſpecies oculos mortalis oberret,
Et decus ætherium iuueniles induat artus.
Ille vbi Nazarios Cæleſti luce penates
Intrat, & orantem peregrina voce ſalutat,
Quæ ſuperum mandata ferat, ſummique Tonantis
Iuſſa refert. Trepidam Virgo depone pauorem,
Te matrem cupit omnipotens. cæleſtia dona
In te vnam cumulata fluent, ditabere cenſu,
Supra omnes, dio. Quidquid congeſſit Olympus
Munus erit dotale tuum. deſponſa marito,

Nulla ſubis caſti iurati damna pudoris.
Ardebit fumo nullo tua teda iugalis,
Fœdera cum niuibus connubij flamma tenebit.
Et grauidanda ſatu, florem illibata pudicum
Seruabis Diuina parens. Hæc mira per Orbem
Non vnquam patrata; tuo conceſſa pudori,
Virginei, Regina Chori, memoranda Virago,
Munere ſunt ſuperùm. Te vnam de ſtirpe parentum
Totius humani generis ſelegit habendam
In Matrem, nullo vitiatam crimine labis,
Æterno Genitore ſatus. de viſcere formam
Induet ille tuo humanam; complexibus ille
Gaudebitque tuis, & lactis munere potus
Ille tuo, preſſis, pendebit ab vbere mammis:
Accipiet, reddetque tuis cara oſcula labris.
Tu modò non renuas, modò ſit tua prona voluntas;
Teque tuo obſequio facilem præſtes. mora nulla eſt
In votis, bona Diua, poli; tu vmbrabere dio
Flamine, ſupremique vigor cœleſtis Olympi
Te matrem dabit eſſe; Viri & contage ſequeſtra
Pura Deum paries. tanta hæc miracula partus
Vna fides credenda dabit. iunxiſſe Tonantem
Humana cum gente, genus! tam diſſita, nexu
Secum vno deuincta nouo! demiſſa ſuprema!
Ima polo ſublata! Æterna hæſiſſe caducis!
Immortale decus mortali tegmine tectum!
Non vllis ſpatijs, non vllo limite clauſum
Arctiùs anguſto membrorum carcere claudi!
Hæc potis vna tuæ formæ veneranda venuſtas
Virgineum ſine labe decus, decora inclyta mentis;
Senſu animi nullo tumido turgentia faſtu
Obtinuiſſe tibi. Quid ceſſes altera Mundi
Spes,

Spes, columenque Orbis lapſi, reſponſa petenti
Expectata dare, atque hominum, mitiſſima, votis
Annuere, & tantas detergere Diua querelas?
Totus in obſequium pronus tibi ſupplicat Orbis.
Certior vna ſalus in te ſua nixa recumbit.
Te penes eſt Virgo Mundum fulcire labantem,
Et miſeros hominum lapſus reparare caducos,
Tartareamque luem depellere. clauſa cauernis
Agmina priſca patrum ſuſpiria crebra, tenebris
Emittunt audita ſuis. laxentur Olympi
Tandem aditus, & clauſa diù Cæli aula pateſcat;
Detque iter ad ſuperos, longo & ſit meta labori.
Ipſe etiam tua grata polus reſponſa moratur
Et flecti te, Diua cupit. tibi ſceptra regenda
Deſtinat; atque Poli reginam voce ſalutat,
Inſtruit & ſolium iam nunc ſuper aſtra locandum.
Conceptam ne falle fidem. Spes ne inuida tantas
Ire ſinas vacuas, & inania vota precantum.
Vtque ratam mea dicta fidem caſtiſſima virgo
Conciliare queant, dubiamque auertere mentem,
Et trepidum de corde metum depellere iuncta
Sanguine cognato, & nexu ſociata iugali
Fœmina, quæ dudum ſteriles iam durat in annos,
Et ſenio confecta graui, ſpem prolis habendæ
Abiecit, non apta ſatu; nunc geſtat in aluo,
Annoſo fæcunda viro (pia pignora) natum,
Grande decus generis, quo maior nullus in orbe
Fœminea eſt de gente ſatus, nexuque virili.
Hæc vbi dicta, metu trepido pia virgo ſoluto,
Atque Dei dignata parens; non turgida faſtu,
Nec tanto tumefacta gradu ſe tollit in auſus
Mater, & elatæ præfert faſtigia mentis;

 Vel

Difficiles ne carpe vias? Concede labori
Nec tantum, bona Diua, tuo. Vexabitur infans
Sub tenera compage latens. Vexabere mater
His inſueta malis, tantiſque laboribus impar
Parce tuæ ſoboli, tibi parcas inclyta Diuûm,
Et ſummi Regina poli. Vos aurea pubes,
Cælituum, mentes celeres, agmenque beatum,
Parcitis obſequio? Nexis quin ocyus alis,
(Officium famulare) leuem per inane quadrigam
Spontè datis, duraſque vias lenitis eunti?
Nil opus auxilio, nec talia dona repoſcit
Fæta Deo virgo. Diuini pondera ventris
Non oneri venient gradienti. Grata leuamen,
Subſidiumque dabunt. Amor impiger euehet alis,
Corque pium. Quæ plena Deo cuncta inuia rumpit,
Aſpera quæque vorat. facili petit ardua greſſu.
O mihi, te diam licuiſſet cernere matrem
Montanum dum carpis iter, viſura ſenili,
Iamque ætate grauem, cognato & ſanguine iunctam,
Connubio dudum ſterili, thalamoque iugali
Turpe diu, & nullo ſociatam pignore ventris?
Credo equidem, nec ludor iners, tibi cuncta, petenti
Officijs deuota ſuis famularibus, omnes
Exhibuiſſe notas, ſubmiſſi & ſigna verenda
Seruitij, teſtata decus, donumque parentis
Diuinum, Regina, tuum. Se vertice prono
Syluarum frondoſus apex, nemorumque cacumen
Demiſit ſupplex. Laxarunt arcta viarum
Ad latus innexi frutices. Dumeta rigentes
Compreſſere vepres, atque horrida germina læti
Depoſuere rubi. Saxis rigor omnis abactus,
Duritieſque pedes teneros ne læderet. Omni

Læta

Læta nouo tellus ſe ſe veſtiuit amictu,
Floreaque eduxit roſeæ noua germina pubis
Sub pedibus ſternenda tuis; pia mobilis vmbra
Quo ſe cumque iubar radijs ſolare tepeſcens,
Infeſtis ſe pandit atrox, ac ſpicula vibrat,
Arborea alta comis, frondoſo & tegmine velat,
Lympha fugax gelido decurrens vitrea riuo,
Et ſumma de rupe cadens, tibi larga liquores
Obtulit; arentem ſi fortè ſitim calor æſtu,
Aut iter aſſiduum forſan conciſſet eunti.
Nec veſtrum, Zephyri volucres, animæque vagantes
Defuit obſequium ſpirabile. flabilis omnis
Aura ſuum circà gratum mouet ora flabellum.
Sed iam Dia parens ſuperatis montibus, ædes
Cognatas feſtina ſubit. quæ gaudia, tantas
Mutua, complexu læto tenuere parentes?
Qui ſenſus hilares animorum? illapſa per artus
Quæ geminos dulcedo micat? gratata viciſſim
Altera in alterius cæleſti munere. Matrem
Hæc celebrat, paſſam diſpendia nulla pudoris:
Conceptum geſtare Deum. Canit illa parentem
Iam fœtu grauidam, ſterilem damnaſſe ſenectam;
Et fore vaticinam tam Magni Nominis. Infans
Et Vates, de Vate ſatus, quæ mira per Orbem
Virginea, ſpectanda dabit tanta auſpice Matre.
Iam cerno, meditata fugam, contagia culpæ
Primæuæ, trepidare? Infantis crimen auitum
Aduentu expauiſſe ſuo? non ſuſtinet, illo
Iam pede protritum, fracta & ceruice pudicos
Ferre libens vultus. retulit cum fama, propinquam
Eſſe Dei Matrem, Sobolemque in ventre latentem
Poſſeſſos intra re lares, exhorruit. arma

Illi experta ſatis trepidum incuſsère pauorem.
Hoſtis adeſt geminus. Faſſum ſe viribus impar
Corripuitque fugam, atque immmunia caſtra reliquit.
Hinc tibi, Magne puer, materno in carcere ſaltus;
Inde nota gaudentis erant. præceſſerat ortus
Natales tumulata tuos iam culpa perempta.
Liber eras, carcer dum te maternus haberet.
Ante ſatum, Solis radijs, & luce carenti,
Dia tibi præcox melior præfulſerat eos.
Hæc, primas ſi ingreſſa fores cæleſtia dona
Virgo tulit? Supereſt quantum tibi munus Olympi,
Dum trahet illa moras tecum! dum vinciet vlnis
Illa ſuis! teneris dum preſſis ore labellis
Mutua libabit diuinis oſcula labris!
Rumpe moras, venerande puer, teque eripe vinclis,
Matris, & amplexu. teſqua inuia, conſita dumis;
Antra repoſta vocant. lymphæ lactabere riuo:
Aſpera ſylueſtris venient tibi prandia, mellis.
Membra teget vili ſetoſum tegmen amictu.
Incedes teneris ſaxoſa per ardua plantis;
Quas non vlla olim vilis defendet aluta:
Nec glaciem contra duram veſtigia pero
Armabit crudus. traduces tempora primus
Incola ſyluarum, & nemoroſi cultor eremi.
Te tamen hæc latebra, & nemoroſi tegminis vmbra
Luciferum mox grata dabit. pandetur eoum
Indice te, ſolare iubar, quod nocte ſilente
Aurora meliore ſatum prodibit ab antro
Bethlæo. & mundum radijs afflabit Olympi.
Naſcere magne puer, quid gaudia noſtra moraris?
Te naſcente, polus plauſu replebitur. Omnis
Gens hominum lætata, tuo tibi plaudet in ortu

Na-

Naſceris ò quantus! Magnum, teſtatur Olympus
Te fore, non vanus vates. Cæleſtia dona
Nullì hominum collata magis, natalibus ipſis
Ire ſuper cunctos dignatum munere Diuum,
Virtutiſque ſuper cunctos, efferre triumphos.
Iam tua, per nemorum ſaltus, & teſqua ferarum
Vox audita ſonat, magno, & clamore reſultat,
Quæ ſcelerum vetat ire vias, calleſque nocentum
Obliquos. rectis inſiſtere nuncia veri
Imperioſa iubet. Montanis aſpera ſaxis,
Iam mollita docet; fuerant quæque ardua greſſu
Iam faciles præbere vias, curſuſque ſupinos.
Non tibi vaticina venturi Numinis ora
Mente datum nouiſſe procul. non abdita longe
Vmbratis didiciſſe notis, velata figuris
Vel cæcis adaperta modis. præſentia cernis,
Maternoque ſinu clauſus ſaltu indice prodis;
Et fruſtra dudum quæſita voce, ſalutas.
Illa dies aderit, cum te Iordanides vndæ
(Grande miniſterium) diuino in vertice cernent
Inſperſiſſe Sacri laticis pia dona ſalutis,
Quamquam non vllo ſceleri perfuſa piando.
Hæc te, magne puer tanta ad faſtigia vexit
Conciliatus amor diuina à prole parentis
Virgineæ; tanta hæc tibi grandia munera Cæli
Ingreſſu tulit illa ſuo. Sed nos quoque, Virgo,
Pars cenſus, licet ima, tui numeramur. eodem
Subdimur imperio; & tanti ſub tegminis vmbram,
(Immeriti quamuis) ſuperum regina, vocamur;
Nos etiam tua cura ſumus, gens indiga tanti
Auxilij, pia Diua tui. ne inuiſere noſtros
Dedignare lares, pia pectoris hoſpita. Suetis

Præ-

Præſidijs occurre tuis. auerte doloſas
Tartareas Erebi inſidias. Munimen in hoſtes
Da te præualidum. Stygios compeſce furores.
Quaque potes proſterne manu: pia lumina menti
Indas obſcuræ, cæcas depelle tenebras.
Tota tuo flagrent penetralia cordis ab igne.

CHRISTI NATALIS DIES.

I*Mprouiſa micat quæ nox? Qui ſplendor eous*
Inſuetus tenebras radijs afflare diurnis
Eſt potis, & cæli medium dominantibus aſtris,
Ferre diem vmbris inuitis? Conuicia nocti
Quando aliàs ſunt facta magis? Maiora ſilentes
Probra aliàs, olim quando ſubiere tenebræ?
Non vno fulſiſſe polum ſat Sole coruſco;
Splendeſcit triplici phœbeæ lampadis igne;
Per conuexa triplex radiat Cæli ardua Titan.
Sufficiunt non iſta tamen miracula pompæ,
Et noua lætitiæ naturæ ſigna, ſilentem
Edita per noctem miris fulgoribus. ipſum
Totum orbem læto pertentant gaudia ſenſu.
Geſtit io totus naturæ plauſibus ordo.
Ipſa rigens lætatur hyems. Submittere flores
Sicca, vel in medijs tellus aquilonibus audet,
Inque probrum brumæ, verno præfulget amictu,
Pubentes induta ſinus. Decurrere viſa
Flumina, palladijs ſunt amnibus. aſpera rupis

Bal-

Balſama pura ferunt. Sudarunt mellea quercus
Munera, & arentes viruerunt germine Syluæ.
Lætitiæ quoque ſigna polus dat nuncia tantæ,
Et ciet ignaras inſueta ad gaudia terras.
Peruigil in noctem ſua linquit ouilia paſtor,
Oblituſque gregis properè feſtinat ad antrum,
Cælituum pia iuſſa ſequens. Concentus ab aſtris
Antra ſuper reſonat; pacis iam fœdera terris
Reddita, voce canit. ſæuas miteſcere Olympi
Iras, & fulmen manibus cecidiſſe triſulcum
Quod vibrat omnipotens. tanto grandeſcere diuos
Munere; Quodque magis, Deus hoc exultat honore.
Phœbe, quid hìc ſegnes nos gaudia noſtra moramur
Lætitiæ immemores, ſomno & torpemus inerti?
Nos etiam natale Dei properemus ad antrum,
Et propè cernamus tanti miracula partus,
Infantémque Deum proni veneremur; & ora
Noſtra ſuis pedibus læti ſubdamus amantes.
O liceat noſtris oculis hæc mira tueri!
Infantem vagire Deum! ſociaſſe caduco
Immortale genus! noſtro de ſanguine cretum
Humanos vultus dignatum ſumere, & olim
Iſacia de gente ſuam, iactare parentem!
Sed quæ oculis portenta meis ſpectanda, ſub ipſum
Aſpectum primò veniunt? Sunt hæccine Olympi
Gaudia. Quid tantis exultet plauſibus æther,
Aligerumque chorus, libratis deſuper alis,
Antra, canat, naſcente Deo, decora addita Diuis,
Et ſplendore Polum tantis natalibus auctum?
Inſtar vbi hoc tantum eſt deſpecto in limine rupis,
Et vilis ſtabuli in latebris? Hæc ſcilicet illa
Regia celſa poli? Sedes ſtellantis Olympi,

Et radiata Dei rutilis ſplendoribus Aula?
Hic cæli cenſus locuples? Domus aurea, nunquam
Theſauris exhauſta ſuis? Laquearia crebris,
In noctem aſtrorum nitidis diſtincta pyropis,
Inque diem ſolis rutilo fulgore coruſca?
Obſequium famulare, pudet nos Phœbe referre.
Nonnè vides, pueri, ſtabuli ſuper arcta, iacentis,
Quadrupedum, par vile latus circumdare? Durum
Vt fenile ſuper tam mollia membra reclinet?
Vt rigidum premat ille torum? ſubſternitur artus,
Faſce rudi, teneros nodoſum culmen auenæ,
Et læſura latus, cuſpis ſocialis ariſtæ?
O hyemes procul hinc abſiſtite. Frigida cauri
Flamina, ferte procul veſtros inimica furores.
Bruma ferox armata gelu; rigor, antra niualis
Hæc rimoſa procul, tuguri & male ſiſſile tectum
Ferte minas gelidas; rigidas prohibete pruinas?
Nudus, inops Dius teneris tremit artubus infans,
Et tremulum, vix lina tegunt; defendit amictus
Vix, lacer, & matris grato ſudata labore
Tegmina. Vos animas calidas, tepidumque vaporem
Frigenti inſpirate Deo, Bos vnica ruris
Spesque agri melior ſubeundo fortis aratro,
Et patiens perferre iugum ceruice colona:
Tuque humeros, qui ferre libens conſueſcis onuſtos
Seruitio te iunge pari. Vitale flabellum
Cordis, & arcani folles animate tumentes
Pectoris, ò geminis frigentia membra fouete
Flatibus. Immites auferte aquilonibus iras?
Ah ego quin etiam cunas ſuper incubo; & ore
Hanc animam totam calidas inflaminis auras.
Difflans, emerito foueo pia membra calore,

Et

Et ſuper emoriens, hyemis propello rigorem.
At tuus eſt melior labor hic; eſt gratius oris
Officium, bona diua, tui; complexibus arctis
Dia parens, conſtringe tuis pulcherrima, natum.
Ille tuo recubet gremio; face pectoris ille
Ardeſcat, pia Virgo, tua. flagrabit ab æſtu
Ille tuo meliùs. Sic territa bruma recedet.
Ah tu diue puer, non hæc ſolatia poſcis,
His nec ab ærumnis vllum tibi quæris aſylum,
Perfugiumque malis. nempè his te cladibus vltro
Offers, atque vltro prædam te in vincla dediſti.
O quis amor ſuperum! qui indulgens Numinis ardor
In noſtrum mortale genus! Quis, mira per Orbem
Iſta Deo patrata putet? Mens territa, tanta
Cuncta hominum ſubiecta pia ſub mole laborans
Hæc ſupra ſua vota videt. nempè hęccinè tantum
Cura Deum tangat tam ingratę ſtirpis, vt vltro
(Humanam quę monſtra fidem, ſpemque altiùs omnẽ
Exuperant) probris ſe ſe inferat? hæccine ſummus
Dura pati cupiat Magni dominator Olympi,
Nec decus in noſtrum tam vilia ferre recuſet?
O vbi fulmineę nunc inclyta robora dextrę
Priſca olim horrificè iacientis tela triſulca?
Vox vbi concutiens ſublimes horrida cedros,
Et loca terrifico complens deſerta pauore?
Alta giganteis vbi nunc veſtigia plantis?
Sunt vbi fulmineas vibrantia lumina flammas.
Imbelles nunc vincla manus, teneroſque lacertos
Faſciolis complexa ligant. terrore coercens
Robur, inerme iacet; fragilique in corpore languet.
Amiſit vox illa ſonos horrenda minaces;
Hęret in infanti quærens noua verba palato;

Dedi-

Nulla ſubis caſti iurati damna pudoris.
Ardebit fumo nullo tua teda iugalis,
Fœdera cum niuibus connubij flamma tenebit.
Et grauidanda ſatu, florem illibata pudicum
Seruabis Diuina parens. Hæc mira per Orbem
Non vnquam patrata; tuo conceſſa pudori,
Virginei, Regina Chori, memoranda Virago,
Munere ſunt superùm. Te vnam de ſtirpe parentum
Totius humani generis ſelegit habendam
In Matrem, nullo vitiatam crimine labis,
Æterno Genitore ſatus. de viſcere formam
Induet ille tuo humanam; complexibus ille
Gaudebitque tuis, & lactis munere potus
Ille tuo, preſſis, pendebit ab vbere mammis:
Accipiet, reddetque tuis cara oſcula labris.
Tu modò non renuas, modò ſit tua prona voluntas;
Teque tuo obſequio facilem præſtes. mora nulla eſt
In votis, bona Diua, poli; tu vmbrabere dio
Flamine, ſupremique vigor cæleſtis Olympi
Te matrem dabit eſſe; Viri & contage ſequeſtra
Pura Deum paries. tanta hæc miracula partus
Vna fides credenda dabit. iunxiſſe Tonantem
Humana cum gente, genus! tam diſſita, nexu
Secum vno deuincta nouo! demiſſa ſuprema!
Ima polo ſublata! Æterna hæſiſſe caducis!
Immortale decus mortali tegmine tectum!
Non vllis ſpatijs, non vllo limite clauſum
Arctiùs anguſto membrorum carcere claudi!
Hæc potis vna tuæ formæ veneranda venuſtas
Virgineum ſine labe decus, decora inclyta mentis;
Senſu animi nullo tumido turgentia faſtu
Obtinuiſſe tibi. Quid ceſſes altera Mundi

Spes,

Spes, columenque Orbis lapſi, reſponſa petenti
Expectata dare, atque hominum, mitiſſima, votis
Annuere, & tantas detergere Diua querelas?
Totus in obſequium pronus tibi ſupplicat Orbis.
Certior vna ſalus in te ſua nixa recumbit.
Te penes eſt Virgo Mundum fulcire labantem,
Et miſeros hominum lapſus reparare caducos,
Tartareamque luem depellere. clauſa cauernis
Agmina priſca patrum ſuſpiria crebra, tenebris
Emittunt audita ſuis. laxentur Olympi
Tandem aditus, & clauſa diù Cæli aula pateſcat;
Detque iter ad ſuperos, longo & ſit meta labori.
Ipſe etiam tua grata polus reſponſa moratur
Et flecti te, Diua cupit. tibi ſceptra regenda
Deſtinat; atque Poli reginam voce ſalutat,
Inſtruit & ſolium iam nunc ſuper aſtra locandum.
Conceptam ne falle fidem. Spes ne inuida tantas
Ire ſinas vacuas, & inania vota precantum.
Vtque ratam mea dicta fidem caſtiſſima virgo
Conciliare queant, dubiamque auertere mentem,
Et trepidum de corde metum depellere iuncta
Sanguine cognato, & nexu ſociata iugali
Fœmina, quæ dudum ſteriles iam durat in annos,
Et ſenio confecta graui, ſpem prolis habendæ
Abiecit, non apta ſatu; nunc geſtat in aluo,
Annoſo fœcunda viro (pia pignora) natum,
Grande decus generis, quo maior nullus in orbe
Fœminea eſt de gente ſatus, nexuque virili.
Hæc vbi dicta, metu trepido pia virgo ſoluto,
Atque Dei dignata parens; non turgida faſtu,
Nec tanto tumefacta gradu ſe tollit in auſus
Mater, & elatæ præfert faſtigia mentis;

Vel ſuper ire genus tantum mortale ſuperbit,
Vna quòd egregias inter, ſelecta, parentis
Fœminea de gente ſatas, hoc munus obire
Par, meritò fuerit. Vultum demiſſa pudicum,
Atque oculos defixa ſolo, nil tale merentem
Se abiectis eſt faſſa modis; famulamque Tonantis
Eſſe magis, dicique cupit. Tamen impigra dictis
Annuit, aligeri nec grandia dona recuſat,
Obſequio paritura Deum. Mox viſcera dio
Intumuere ſatu. Puro de ſanguine membra
Sunt dia fabricata manu; nulloque labore
Corporei veniunt artus. Abſoluitur omnis
Compago conflata breui, corpuſque tenellum.
Inde animus cognata polo, & mens præpetis alæ
Corpore cum tenero ſocialia vincula nectit
Pars vitæ melior. Fidei miracula cernas!
Æterno genitore ſatus nunc induit artus
Humanos; noſtroque Deus de ſanguine miſcet,
Et noſtra de ſtirpe genus ſociare paterno
Diuino gaudet genitus bis. mente parentis
Sola olim, ſola genitus nunc matris ab aluo,
Attonito cernente polo, & mirantibus aſtris.
Hæc tua, diua parens, ſunt munera. nutibus orbis
Damna tuis reparanda videt. Vox illa verendi
Obſequij, & facilis dictis parere Tonantis,
Nuncie cælicolum tibi quæ demiſſus ab aſtris
Attulit; afflictis peperit quæ gaudia terris?
Quanta hominum generi diæ ſpes orta ſalutis?
Vt tandem reduces patrio ſiſtamur Olympo.
Excuſſo ceruice iugo, fractiſque catenis,
Quas fera ſtyx, ſemperque atrox iniecerat orcus.
Numen adeſt vindex! Noſtro de ſanguine cretus

Omni-

Omnipotens aſſertor erit! Nec penniger vltra
Nuncie, necte moras, remees tua lætus ad aſtra;
Cælicolis hæc noſtra tuis fer gaudia, perfer
Quam felix fortuna tuis fuit vndique votis,
Lætaque ſucceſſu fuerint mandata ſecundo;
Virginis intactæ primum trepidante pudore;
Edoctam poſthac totum tribuiſſe roganti
Arbitrium. magnam fieri ſine labe parentem
Annuerit. Tangent etiam te hæc gaudia Cælum
Noſtra olim ſedes decreta, & palma labori.
Per tranſuerſa ferat niſi nos inſana cupido:
Otia ni perimant, & mollis inertia frangat.

PERGIT AD VISENDAM ELISABETH.

PHæbe, Dei matrē (decet hoc) comitemur euntem,
Caſtaliaſque Deas tecum decora inclyta Pindi,
Fer ſocias, comiteſque viæ; candore nitentes
Virgineo, & nulla conſperſas labe Camænas.
Obſequium quod maius erit montana petenti
Virgineæ matri, quàm caſtas ferre ſorores,
Solamenque viæ muſas iunxiſſe pudicas?
Sed quò, fata recens cæleſti numine virgo,
Et nuper diuina gerens pia pondera ventris
Tam graue tendis iter? dumoſa per inuia greſſus,
Et teneros quò diua pedes? Iuga ſaxea ſyluas,
Senticomas generoſa vias, rigidaſque ſalebras,
Quo feſtina teris? Magnum genitura Tonantem

Difficiles ne carpe vias? Concede labori
Nec tantum, bona Diua, tuo. Vexabitur infans
Sub tenera compage latens. Vexabere mater
His inſueta malis, tantiſque laboribus impar
Parce tuæ ſoboli, tibi parcas inclyta Diuùm,
Et ſummi Regina poli. Vos aurea pubes,
Cælituum, mentes celeres, agmenque beatum,
Parcitis obſequio? Nexis quin ocyus alis,
(Officium famulare) leuem per inane quadrigam
Spontè datis, duraſque vias lenitis eunti?
Nil opus auxilio, nec talia dona repoſcit
Fæta Deo virgo. Diuini pondera ventris
Non oneri venient gradienti. Grata leuamen,
Subſidiumque dabunt. Amor impiger euehet alis,
Corque pium. Quæ plena Deo cuncta inuia rumpit,
Aſpera quæque vorat. facili petit ardua greſſu.
O mihi, te diam licuiſſet cernere matrem
Montanum dum carpis iter, viſura ſenili,
Iamque ætate grauem, cognato & ſanguine iunctam,
Connubio dudum ſterili, thalamoque iugali
Turpe diu, & nullo ſociatam pignore ventris?
Credo equidem, nec ludor iners, tibi cuncta, petenti
Officijs deuota ſuis famularibus, omnes
Exhibuiſſe notas, ſubmiſſi & ſigna verenda
Seruitij, teſtata decus, donumque parentis
Diuinum, Regina, tuum. Se vertice prono
Syluarum frondoſus apex, nemorumque cacumen
Demiſit ſupplex. Laxarunt arcta viarum
Ad latus innexi frutices. Dumeta rigentes
Compreſſere vepres, atque horrida germina læti
Depoſuere rubi. Saxis rigor omnis abactus,
Duritieſque pedes teneros ne læderet. Omni

Læta

Læta nouo tellus ſe ſe veſtiuit amictu,
Floreaque eduxit roſeæ noua germina pubis
Sub pedibus ſternenda tuis; pia mobilis vmbra
Quo ſe cumque iubar radijs ſolare tepeſcens,
Infeſtis ſe pandit atrox, ac ſpicula vibrat,
Arborea alta comis, frondoſo & tegmine velat.
Lympha fugax gelido decurrens vitrea riuo,
Et ſumma de rupe cadens, tibi larga liquores
Obtulit; arentem ſi fortè ſitim calor æſtu,
Aut iter aſſiduum forſan conciſſet eunti.
Nec veſtrum, Zephyri volucres, animæque vagantes
Defuit obſequium ſpirabile. flabilis omnis
Aura ſuum circà gratum mouet ora flabellum.
Sed iam Dia parens ſuperatis montibus, ædes
Cognatas feſtina ſubit. quæ gaudia, tantas
Mutua, complexu læto tenuere parentes?
Qui ſenſus hilares animorum? illapſa per artus
Quæ geminos dulcedo micat? gratata viciſſim
Altera in alterius cæleſti munere. Matrem
Hæc celebrat, paſſam diſpendia nulla pudoris:
Conceptum geſtare Deum. Canit illa parentem
Iam fætu grauidam, ſterilem damnaſſe ſenectam;
Et fore vaticinam tam Magni Nominis. Infans
Et Vates, de Vate ſatus, quæ mira per Orbem
Virginea, ſpectanda dabit tanta auſpice Matre.
Iam cerno, meditata fugam, contagia culpæ
Primæuæ, trepidare? Infantis crimen auitum
Aduentu expauiſſe ſuo? non ſuſtinet, illo
Iam pede protritum, fracta & ceruice pudicos
Ferre libens vultus. retulit cum fama, propinquam
Eſſe Dei Matrem, Sobolemque in ventre latentem
Poſſeſſos intra re lares, exhorruit. arma

Illi experta ſatis trepidum incuſsère pauorem.
Hoſtis adeſt geminus. Faſſum ſe viribus impar
Corripuitque fugam, atque immmunia caſtra reliquit.
Hinc tibi, Magne puer, materno in carcere ſaltus;
Inde notæ gaudentis erant. præceſſerat ortus
Natales tumulata tuos iam culpa perempta.
Liber eras, carcer dum te maternus haberet.
Ante ſatum, Solis radijs, & luce carenti,
Dia tibi præcox melior præfulſerat eos.
Hæc, primas ſi ingreſſa fores cæleſtia dona
Virgo tulit? Supereſt quantum tibi munus Olympi,
Dum trahet illa moras tecum! dum vinciet vlnis
Illa ſuis! teneris dum preſſis ore labellis
Mutua libabit diuinis oſcula labris!
Rumpe moras, venerande puer, teque eripe vinclis,
Matris, & amplexu teſqua inuia, conſita dumis;
Antra repoſta vocant. lymphæ labtabere riuo:
Aſpera ſylueſtris venient tibi prandia, mellis.
Membra teget vili ſetoſum tegmen amictu.
Incedes teneris ſaxoſa per ardua plantis;
Quas non vlla olim vilis defendet aluta:
Nec glaciem contra duram veſtigia pero
Armabit crudus. traduces tempora primus
Incola ſyluarum, & nemoroſi cultor eremi.
Te tamen hæc latebra, & nemoroſi tegminis vmbra
Luciferum mox grata dabit. pandetur eoum
Indice te, ſolare iubar, quod nocte ſilente
Aurora meliore ſatum prodibit ab antro
Bethlæo, & mundum radijs afflabit Olympi.
Naſcere magne puer, quid gaudia noſtra moraris?
Te naſcente, polus plauſu replebitur. Omnis
Gens hominum lætata, tuo tibi plaudet in ortu

Naſceris ò quantus! Magnum, teſtatur Olympus
Te fore, non vanus vates. Cœleſtia dona
Nulli hominum collata magis, natalibus ipſis
Ire ſuper cunctos dignatum munere Diuum,
Virtutiſque ſuper cunctos, efferre triumphos.
Iam tua, per nemorum ſaltus, & teſqua ferarum
Vox audita ſonat, magno, & clamore reſultat,
Quæ ſcelerum vetat ire vias, calleſque nocentum
Obliquos. rectis inſiſtere nuncia veri
Imperioſa iubet. Montanis aſpera ſaxis,
Iam mollita docet; fuerant quæque ardua greſſu
Iam faciles præbere vias, curſuſque ſupinos.
Non tibi vaticina venturi Numinis ora
Mente datum nouiſſe procul. non abdita longe
Vmbratis didiciſſe notis, velata figuris
Vel cæcis adaperta modis. præſentia cernis,
Maternoque ſinu clauſus ſaltu indice prodis;
Et fruſtra dudum quæſita voce, ſalutas.
Illa dies aderit, cum te Iordanides vndæ
(Grande miniſterium) diuino in vertice cernent
Inſperſiſſe Sacri laticis pia dona ſalutis,
Quamquam non vllo ſceleri perfuſa piando.
Hæc te, magne puer tanta ad faſtigia vexit
Conciliatus amor diuina à prole parentis
Virgineæ; tanta hæc tibi grandia munera Cæli
Ingreſſu tulit illa ſuo. Sed nos quoque, Virgo,
Pars cenſus, licet ima, tui numeramur. eodem
Subdimur imperio; & tanti ſub tegminis vmbram,
(Immeriti quamuis) ſuperum regina, vocamur;
Nos etiam tua cura ſumus, gens indiga tanti
Auxilij, pia Diua tui. ne inuiſere noſtros
Dedignare lares, pia pectoris hoſpita. Suetis

Præſidijs occurre tuis. auerte doloſas
Tartareas Erebi inſidias. Munimen in hoſtes
Da te prævalidum. Stygios compeſce furores.
Quaque potes proſterne manu. pia lumina menti
Indas obſcuræ, cæcas depelle tenebras.
Tota tuo flagrent penetralia cordis ab igne.

CHRISTI NATALIS DIES.

IMproviſa micat quæ nox? Qui ſplendor eous
Inſuetus tenebras radijs afflare diurnis
Eſt potis, & cæli medium dominantibus aſtris,
Ferre diem vmbris inuitis? Conuicia nocti
Quando aliàs ſunt facta magis? Maiora ſilentes
Probra aliàs, olim quando ſubiere tenebræ?
Non vno fulſiſſe polum ſat Sole coruſco;
Splendeſcit triplici phœbeæ lampadis igne;
Per conuexa triplex radiat Cæli ardua Titan.
Sufficiunt non iſta tamen miracula pompæ,
Et noua lætitiæ naturæ ſigna, ſilentem
Edita per noctem miris fulgoribus. ipſum
Totum orbem læto pertentant gaudia ſenſu.
Geſtit io totus naturæ plauſibus ordo.
Ipſa rigens lætatur hyems. Submittere flores
Sicca, vel in medijs tellus aquilonibus audet,
Inque probrum brumæ, verno præfulget amictu,
Pubentes induta ſinus. Decurrere viſa
Flumina, palladijs ſunt amnibus. aſpera rupis

Bal-

Balſama pura ferunt. Sudarunt *mellea quercus*
Munera, & arentes viruerunt germine Sylua.
Lætitiæ quoque ſigna polus dat nuncia tantæ,
Et ciet ignaras inſueta ad gaudia terras.
Peruigil in noctem ſua linquit ouilia paſtor,
Oblituſque gregis properè feſtinat ad antrum,
Cælituum pia iuſſa ſequens. Concentus ab aſtris
Antra ſuper reſonat; pacis iam fœdera terris
Reddita, voce tanit. ſæuas miteſcere Olympi
Iras, & fulmen manibus cecidiſſe triſulcum
Quod vibrat omnipotens. tanto grandeſcere diuos
Munere; Quodque magis, Deus hoc exultat honore.
Phœbe, quid hic ſegnes nos gaudia noſtra moramur
Lætitiæ immemores, ſomno & torpemus inertis?
Nos etiam natale Dei properemus ad antrum,
Et propè cernamus tanti miracula partus,
Infantémque Deum proni veneremur; & ora
Noſtra ſuis pedibus læti ſubdamus amantes.
O liceat noſtris oculis hæc mira tueri!
Infantem vagire Deum! ſociaſſe caduco
Immortale genus! noſtro de ſanguine cretum
Humanos vultus dignatum ſumere, & olim
Iſacia de gente ſuam, iactare parentem!
Sed *quæ oculis portenta meis ſpectanda, ſub ipſum*
Aſpectum primò veniunt? Sunt hæccine Olympi
Gaudia. Quid tantis exultet plauſibus æther,
Aligerumque chorus, libratis deſuper alis,
Antra, canat, naſcente Deo, decora addita Diuis,
Et ſplendore Polum tantis natalibus auctum?
Inſtar vbi hoc tantum eſt deſpecto in limine rupis,
Et vilis ſtabuli in latebris? Hæc ſcilicet illa
Regia celſa poli? Sedes ſtellantis Olympi,

Et

Et radiata Dei rutilis ſplendoribus Aula?
Hic cæli cenſus locuples? Domus aurea, nunquam
Theſauris exhauſta ſuis? Laquearia crebris,
In noctem aſtrorum nitidis diſtincta pyropis,
Inque diem ſolis rutilo fulgore coruſca?
Obſequium famulare, pudet nos Phœbe referre.
Nonnè vides, pueri, ſtabuli ſuper arcta, iacentis,
Quadrupedum, par vile latus circumdare? Durum
Vt fenile ſuper tam mollia membra reclinet?
Vt rigidum premat ille torum? ſubſternitur artus,
Faſce rudi, teneros nodoſum culmen auenæ,
Et læſura latus, cuſpis ſocialis ariſtæ?
O hyemes procul hinc abſiſtite. Frigida cauri
Flamina, ferte procul veſtros inimica furores.
Bruma ferox armata gelu; rigor, antra niualis
Hæc rimoſa procul, tuguri & male fiſſile tectum
Ferte minas gelidas; rigidas prohibete pruinas?
Nudus, inops Dius teneris tremit artubus infans,
Et tremulum, vix lina tegunt; defendit amictus
Vix, lacer, & matris grato ſudata labore
Tegmina. Vos animas calidas, tepidumque vaporem
Frigenti inſpirate Deo, Bos vnica ruris
Spesque agri melior ſubeundo fortis aratro,
Et patiens perferre iugum ceruice colona:
Tuque humeros, qui ferre libens conſueſcis onuſtos
Seruitio te iunge pari. Vitale flabellum
Cordis, & arcani folles animate tumentes
Pectoris, ò geminis frigentia membra fouete
Flatibus. Immites auferte aquilonibus iras?
Ah ego quin etiam cunas ſuper incubo; & ore
Hanc animam totam calidas inflaminis auras.
Difflans, emerito foueo pia membra calore,

Et ſuper emoriens, hyemis propeuo rigorem.
At tuus eſt melior labor hic; eſt gratius oris
Officium, bona diua, tui; complexibus arctis
Dia parens, conſtringe tuis pulcherrima, natum.
Ille tuo recubet gremio; face pectoris ille
Ardeſcat, pia Virgo, tua. flagrabit ab æſtu
Ille tuo meliùs. Sic territa bruma recedet.
Ah tu diue puer, non hæc ſolatia poſcis,
His nec ab ærumnis vllum tibi quæris aſylum,
Perfugiumque malis. nempè his te cladibus vltro
Offers, atque vltro prædam te in vincla dediſti.
O quis amor ſuperum! qui indulgens Numinis ardor
In noſtrum mortale genus! Quis, mira per Orbem
Iſta Deo patrata putet? Mens territa, tanta
Cuncta hominum ſubiecta pia ſub mole laborans
Hæc ſupra ſua vota videt. nempè hęccinè tantum
Cura Deum tangat tam ingratę ſtirpis, vt vltro
(Humanam quę monſtra fidem, ſpemque altiùs omnē
Exuperant) probris ſe ſe inferat? hæccine ſummus
Dura pati cupiat Magni dominator Olympi,
Nec decus in noſtrum tam vilia ferre recuſet?
O vbi fulmineę nunc inclyta robora dextrę
Priſca olim horrificè iacientis tela triſulca?
Vox vbi concutiens ſublimes horrida cedros,
Et loca terrifico complens deſerta pauore?
Alta giganteis vbi nunc veſtigia plantis?
Sunt vbi fulmineas vibrantia lumina flammas.
Imbelles nunc vincla manus, teneroſque lacertos
Faſciolis complexa ligant. terrore coercens
Robur, inerme iacet; fragilique in corpore languet.
Amiſit vox illa ſonos horrenda minaces;
Hęret in infanti quærens noua verba palato;

Dedi-

Dedidicitque loqui Verbum olim curſor Olympi
Crure giganteo, firmis inſiſtere plantis
Defecta virtute nequit. vibrantia flammas
Lumina, lacrymulis & molli rore madeſcunt,
Extincturo olim nobis incendia Ditis
Maieſtas ignota latet. Deſpectus honorum
Summus apex, humili rupis vileſcit in antro:
Nudus eget, tanti diues dominator Olympi.
Sunt, Amor, iſta tui celebris monumenta triumphi,
Et dium virtutis opus. tenuere beata
Agmina qui ſenſus animorum? Quis ſtupor omnem
Abſtulit & mentem? Cum maieſtate ſequeſtra,
Seruiles ſubiiſſe notas videre potentem
Regnatorem orbis? materni lactis egentem,
Cuius afflatu totus viget igneus Orbis?
Terra viget? maris vnda viget, fluuiique liquentes,
Et quæ mota ſuper leuis incubat aura volucris.
Ætatis ſub lege meet, qui conditor æui?
Claudatur ſpatiis, neſcit qui limite claudi?
Quid mortale genus tanta pro merce redones?
Officio quo tanta vnquam benefacta rependas?
Te (pia Virgo) vadem ſupplex humana propago
Poſtulat. In noſtrum te ſuffice, diua, laborem;
Nos, bona Virgo, leues tanta ſub mole gementes.
Noſtras ſume vices. Quid non ſperemus amantes?
Te natum flectente tuum? Quid cara labellis
Oſcula non valeant, labris, impreſſa, tenellis?
Quid non preſſa tuis lactentia dona papillis?
Quid non vſque ſuo circumdata brachia collo,
Et teneri amplexus, & blando verba ſuſurro?
Illecebræ molles. Oculorum lumina, ocellis
Vſque ſuis defixa tua? atque agitantia cunas

Bra-

Brachia, & accerſens ſolers tua cura ſoporem?
O decreta polo ſoboles, gratare Tonanti,
Naſcentique Deo. Quanta his natalibus orco
Inſtat atrox clades! Quantas hic fletus Auerno
Eliciet lacrymas! quanto vagitus in antro
Implebit ſtygias trepido terrore phalanges!
Haſtarum in ſegetem ſtabuli ſubcreſcet ariſta;
Et ſtipulis ſuus horror erit Mucronis acuti
Vulnificus. Duras Infantis vincla catenas
Tartareo inijcient, nectendas vſque Tyranno.

B. VIRGO IN TEMPLO RITE LVSTRATVR.

AD noua, poſt ortũ, nos gaudia Phœbe vocamur.
Continuant nobis Superi argumenta canendi
Læta, roſas, pia Virgo tuas. diſceſſimus antro
Bethlemo, atque humilis tuguri, ignotique Mapalis
Liquimus infantis durum fœnile iacentis.
Inclyta ſunt animo Solymæia templa petenda;
Auguſta ſedes, magni delubra Tonantis;
Ampla vbi porticibus circum ſeſe atria laxant;
Fultaque marmoreis moles operoſa columnis
Ante fores ſubſtructa patet, ſcalæque ſuperbo
Dant aditus templo faciles, callemque ſupinant.
Tota quater denis iam lux exacta diebus,
Ex quo dia parens data poſt ſua pignora ventris
Clauſa domi fuerat; patrios exire penates
Decretum nunc tempus adeſt, parere iubentis

Legis & imperio.luſtranda enixa puella eſt;
Eſt ſuperum iuſſu ſiſtendum pignus ad aras;
Eſt deuota Deo ſoboles redimenda,vel auro
Si cenſus locuples; tenuis ſi,turture bino,
Aut agno,aut ſaltem binis de more columbis.
Ergo dia parens ſobolem complexa tenellam,
Et teneris tenerum diuinum pignus in vlnis
Læta gerens;legumque hilaris pia iuſſa faceſſens
Aggreditur generoſa vias,oblatus vt infans
Rite Deo veniat,luſtretur & integra mater.
Nos iter hoc diæ ſociemus rite parentis,
Lesbiadeſque tuas tecum fer Phœbe ſorores.
At quæ dia parens ſecum fert agmina? quanti
Seruitio comitata vias peregrina pererrat
Ætherei Regina poli? comitantur euntem
Quot famulûm turbæ? ſtipat veſtigia quantum
Grande ſatellitium? ſociali turba corona,
Quæ procerum priſcoque nitens de ſanguine auito
Multa tegit generoſa latus? Qua iuſſa præire
Haſtata in phaleris ſplendens legione iuuentus,
Et volucres equitum turmæ? Quot voce canora
Æra ſonant,lætoque tubæ clangore reſultant
Multiplices per cuncta procul? ſpecioſa ſupellex
Quæ innumeris portatur equis? quæ pompa celebris
It gazæ locuples feſtiuis vecta quadrigis?
Ambitioſa viæ, tumidique ingentia faſtus
Argumenta procul? vanæ & ſpectacula pompæ
Ite alio! non iſta poli Regina repoſcit,
Nec tales ſectatur opes.fecere Tonanti
Gratam,humiles ſenſus; materni ad culmen honoris
Virgineus ſine labe pudor,candorque niualis,
Euexit, magnamque Dei dedit eſſe parentem.

Cerne

Cerne viæ comites. parendi prona voluntas
Obſequio deuincta ſuo, faciliſque iubenti
Suadet iter,monſtratque vias generoſa patentes.
Paupertas hæret lateri,cuncta ardua victrix
Vis animi perferre iubet,roburque laborum
Cunctorum patiens.orbi dare fulcra labanti
Vrget amor,lapſuſque ſuos reparare caducos;
Virgo gradum quocumque ferat,pudor obuius,vltro
Lilia dat pedibus ſupplex calcanda pudicis;
Datque roſas cognata ſuo data dona pudori.
Sed iam emenſa vias,Solymæi limina templi
Ingreditur luſtranda parens;tibi magne Sacerdos
Nunc radijs afflet demiſſum lumen ab aſtris
Æthereumque iubar mentem quo dona parentis
Inclyta Virgineæ,cæleſti luce pateſcant,
Egregiumque decus. Si ſęcula cuncta laborent,
Et ſimul incumbant operi ſublimiùs vnquam
Nil patrare queant: vel Numinis ipſa poteſtas
Artifici conata manu,nil grandius orbi,
Nilque magis ſublime dabit,.pulchrumq; videndum,
Inſtar habet quantum! Soli conceſſit habendum
Omnipotens,quod nulla æquent pia vota petentum:
Ire ſuper mortale genus. cæleſtia nutu
Flectere.Cælicolas illi ſummittere faſces
Obſequio faciles,& iuſſa capeſſere Diuæ.
Hæc ergo luſtranda venit, quæ enixa tonantem eſt.
Quale ſolet matuta ſuum progignere Solem;
Quale per & vitrum infractum lux ignea tranſit:
Hoc cum virgineo pudeat candore parentis
Auroram conferre ſuum. Nix alpibus altis,
Montaniſque iugis hyberno tempore tectis
Amiſit pudibunda decus, collata niuale;

Legis & imperio.luſtranda enixa puella eſt;
Eſt ſuperum iuſſu ſiſtendum pignus ad aras;
Eſt deuota Deo ſoboles redimenda,vel auro
Si cenſus locuples; tenuis ſi;turture bino,
Aut agno,aut ſaltem binis de more columbis.
Ergo dia parens ſobolem complexa tenellam,
Et teneris tenerum diuinum pignus in vlnis
Læta gerens;legumque hilaris pia iuſſa faceſſens
Aggreditur generoſa vias,oblatus vt infans
Rite Deo veniat,luſtretur & integra mater.
Nos iter hoc diæ ſociemus rite parentis,
Lesbiadeſque tuas tecum fer Phœbe ſorores.
At quæ dia parens ſecum fert agmina? quanti
Seruitio comitata vias peregrina pererrat
Ætherei Regina poli? comitantur euntem
Quot famulûm turbæ? ſtipat veſtigia quantum
Grande ſatellitium? ſociali turba corona,
Quæ procerum priſcoque nitens de ſanguine auito
Multa tegit generoſa latus? Qua iuſſa præire
Haſtata in phaleris ſplendens legione iuuentus,
Et volucres equitum turmæ? Quot voce canora
Æra ſonant,lætoque tubæ clangore reſultant
Multiplices per cuncta procul? ſpecioſa ſupellex
Quæ innumeris portatur equis? quæ pompa celebris
It gazæ locuples feſtiuis vecta quadrigis?
Ambitioſa viæ, tumidique ingentia faſtus
Argumenta procul! vanæ & ſpectacula pompæ
Ite alio! non iſta poli Regina repoſcit,
Nec tales ſectatur opes.fecere Tonanti
Gratam,humiles ſenſus; materni ad culmen honoris
Virgineus ſine labe pudor,candorque niualis,
Euexit, magnamque Dei dedit eſſe parentem.

Cerne viæ comites. parendi proua voluntas
Obſequio deuincta ſuo, faciliſque iubenti
Suadet iter,monſtratque vias generoſa patentes.
Paupertas hæret lateri,cuncta ardua victrix
Vis animi perferre iubet,roburque laborum
Cunctorum patiens.orbi dare fulcra labanti
Vrget amor,lapſuſque ſuos reparare caducos;
Virgo gradum quocumque ferat.pudor obuius,vltro
Lilia dat pedibus ſupplex calcanda pudicis;
Datque roſas cognata ſuo data dona pudori.
Sed iam emenſa vias,Solymæi limina templi
Ingreditur luſtranda parens;tibi magne Sacerdos
Nunc radijs afflet demiſſum lumen ab aſtris
Æthereumque iubar mentem quo dona parentis
Inclyta Virgineæ,cæleſti luce pateſcant,
Egregiumque decus. Si ſęcula cuncta laborent,
Et ſimul incumbant operi ſublimiùs vnquam
Nil patrare queant: vel Numinis ipſa poteſtas
Artifici conata manu,nil grandius orbi,
Nilque magis ſublime dabit,pulchrumq; videndum,
Inſtar habet quantum! Soli conceſſit habendum
Omnipotens,quod nulla æquent pia vota petentum:
Ire ſuper mortale genus. cæleſtia nutu
Flectere.Cælicolas illi ſummittere faſces
Obſequio faciles,& iuſſa capeſſere Diuæ.
Hæc ergo luſtranda venit, quæ enixa tonantem eſt.
Quale ſolet matuta ſuum progignere Solem;
Quale per & vitrum infractum lux ignea tranſit:
Hoc cum virgineo pudeat candore parentis
Auroram conferre ſuum. Nix alpibus altis,
Montaniſque iugis hyberno tempore tectis
Amiſit pudibunda decus, collata niuale;

Candor & erubuit liliorum argenteus arſit.
Inuida, lactenti cæleſtis ſemita gyro.
Quæque ſuum geſtit virtus conferre decorem,
Sumat vt inde ſuum maius decus, omnis ab ipſa
Quin etiam virtus didicit documenta magiſtra,
Et vitæ melioris iter, rectumque tenorem.
Cernis vt ora rubor, Diuæque verendus honeſtat
Virgineum regale decus. præfulget ocellis
Fulgor Olympiacus. vultum commendat honeſtas
Maieſtate grauis. damnat vaga lumina nullus
Huc, illuc error cupidis obtutibus. arcta,
Congrua temporibus, tenuere ſilentia linguam;
Sed memorem officij. Charitum ſuper inſidet ora
Gratia, nectareus perfundit ſermo labella.
Inconcuſſa quies mentis, frontiſque ſerenæ
Conſtat vbique tenor. pietas ſe pandit in omnes;
Omnibus ardet amor factis prodeſſe benignis?
Hanc luſtrare licet vulgari & more piare.
Sic tibi diua parens, libuit non indiga. tanti
Æmula preſſa tui ſeruans veſtia nati,
Atque humilis percuncta tui documenta magiſtri;
Quem ſceleris perferre notas, & ſigna cruenta
Non puduit primi ſæua argumenta doloris:
Et prima in teneris membris inflicta cicatrix:
Rumpe moras iam virgo tuas; expectat Olympus;
Expectat tellus oblatum munus ad aras,
Et natum bona diua tuum; flectetur Olympus
Muneris oblati pretio iam tempore longo
Preſſa iugo ſcelerum, tellus aſſerta reſurget.
Libera dediſcet ſtygio ſeruire tyranno.
Non hæc omnipotens tam grandia dona recuſat,
Atque ingens pretium. donũ eſt commune, quod offers;
O bona

O bona Diua. Pater recipit ſua pignora, natum
Æterno genitore ſatum. Das Virgo pudico
Pura ſatu genitum. Munus, pia Diua, redonas
Quod tibi ſpontè datum. nulla genitricè iuuante,
Vnius obtutu mentis ſeſeque tuendo
Æternus genitor fœcundo lumine tantam
Hanc, per cuncta parem ſobolem extulit. vnus eãdem
Patre tibi nullo genitam conceſſit habendam
Virgineæ Matri. Mater tua munera donas,
Et reddis ſua dona Deo. tam grandia dona
Spontè manu delata tua; face pectoris; æſtu
Cœlite, quo nullum tam caſtis ignibus arſit,
Anne pater renuat? Natus prece ſupplice patrem
Poſſit idem, Diues doni largitor, & ingens
Ipſe patri donum decus amisère verendum.
Veſtra Deo quondam data munera. cæde patranda
Nil Abram te extolle tua, iuguloque petendo
Tam caræ ſobolis! fruſtra Lamechius hæros
Poſt pelagi vndoſis ſubductam fluctibus alnum,
Ingentemque ratem ſoſpes pia munera iactet
Litoreis oblata plagis? nec dona cruenta
Iactet Abel depaſta focis, memoranda vetuſtas
Obtulerit quidquid pretio vileſcit; & omnis,
Nomen erit vacuum laudis, ſplendoris egenum.
Sed luſtrata parens eſt iam eſt oblatus & infans,
Vt redimas, nunc tempus adeſt pia Virgo. Sacerdos
Expectat. quanto natum mercabere cenſu
Diua tuum? quinis tam grandia pignora ſiclis?
Siccine vileſcit, ſummi regnator Olympi,
Æterno genitore ſatus? tua mentis imago,
Et vitale iubar, vitali luce coruſcans.
Hoc pretio venale datur? Sata Numine Pallas,

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

Numen idem, noſcendi eadem non hauſta poteſtas,
Theſauris innata tuis, mentiſque fodinis
Indefeſſa vigens, tenui ſic merce redempta eſt?
O liceat Superis oblata merce paciſci,
Et pretio tam grande decus ſibi poſcere fuluum
Prodigerent totum pretioſi velleris aurum,
Auratumque iubar Solis, fulgentis & auri
Sidereum totum pretium. gemmantia Cæli
Munera, & æterna flammantes luce pyropos;
Auratas & Gangis opes. quot voluit arenas
Tempeſtas pretioſa Tagi. quot Diuite lympha
Pactolus deuoluit opes. Spolietur Erythra
Tota ſuis gemmis; gemma viduetur & omni
Oceanitis aqua. educat, quos terra recondit
Theſauros latebroſa ſuos. cenſebitur infra
Ad tanti pretium nati. Menſura valoris
Ipſe ſibi queat eſſe vnus. Malè grata propago
Humanique probrum generis, quæ dona rependis
Muneribus tam ſpontè datis. vileſcere Numen
Vltrò ambit, ſis vt tam grandi merce redempta?
Quò pia Virgo gradum celeras? Ab ſiſte parumper;
Vota pÿ ſolare ſenis. te turpe iacentem
Strata tenent Simeon? Aurora afflauit eoo
Nondum te rutilo? Solymæia templa refulgent
Sole nouo. propera greſſus vrgere ſeniles.
Expectata dies, quam ſæpè oracula vatum
Non dubÿs mandata notis, cecinere priorum,
Ad templum reuocat. Quàm tot ſuſpiria cordis
Expetiere tui; cupidis quam acceerſere votis
Deſiſti numquam; propiùs quam cernere, fati
Ante diem, & longè productas funeris horas,
Luminibus, veneranda ſuis, & cana ſenectus

Enixè cupijt; tibi iam pulcherrima fulſit:
Iſacidum de gente ſatum, iam lumina Numen
O tua, ſancte ſenex, propiori luce beanda
Conſpicient. optata diù, quid tanta moraris
Gaudia. Colla iugo gens Iſraelia tandem
Eripienda videt. toti iam panditur Orbi
Expectata ſalus. totum mortale redemptum,
Iam gratare genus? ſed quid mea muſa, ſeniles
Increpat vſque moras? olli iam fulſerat ante
Lumen Olympiaeum, mentemque afflauerat. aures
Vox arcana Dei cordis peruaſerat. ergo
Nil mole annorum preſſus, curuæque ſenectæ
Pondere, anhelus iter magni ad delubra tonantis
Accelerat. templum ingreditur. rimatur vbique
Luminibus cupidis. poſtquam olli cælite ductu
Noſſe datum coram: trepidum quæ gaudia pectus
Compleuere ſenis? Iuuenum vigor omnis, in artus
Accitus, feruore micat, greſſu exilit ætas
Annorum ſub mole grauis. vox grandis in ore
Feſtiuo clamore ſonat. ſcintillat ocellis
Inſuetus fulgor radiorum, & viuida virtus
Emicat. erectum iuuenili robore corpus,
Quale gerit mentem, generosè ſuſtinet. algens,
Æſtuat in venis ſanguis, torpore relicto
Lætus & ardentes niueo ſub crine ſenectus
Cana fouet flammas, omniſque reflorruit ætas,
Verè nouo gauiſa, notas exuta ſeniles.
Nec libaſſe oculis ſatis eſt: complexibus arcet
Ille ſuis numen. potuit ne amplexibus infans
Diuelli matris? potuit genitrice relicta
In ſenis amplexus ire, & præbere roganti
Oſcula? & illecebra tantum geſtire ſenili,

Afflatuque oris tantum gaudere propinquo?
Excedit ſua vota fauor; ſuperatque petita
Indulgens genitricis amor. ſe poſſe tueri
Optarat dios vultus; haurire videndo
Exortum cæleſte iubar. Nunc brachia collo
Nectere. complexu dijs dare dulcia plantis
Oſcula conceſſum, membriſque hærere tenellis,
Fortunate ſenex, quid non tua fata laceſſas,
Et morti des vota libens? nil lumina poſthac
Quod placet, mortale queant, gratumque tueri,
Numine conſpecto? religatis nexibus, vltro
Auolet atque animus longo ſe carcere ſoluat.
Mors tibi ſomnus erit; ſtatio tibi cara, feretrum;
Vrna quies. dudum tibi pax optata ſepulcrum.
Rumpite fata moras, inquit; nunc buſta ſenectus
O quam læta ſubit. Subeunt nunc tædia vitam,
Poſtquam oculis hauſi Diuini Numinis ora,
Illuxitque ſalus terris. Egò nuncius, ortus
Præcurram felix exuto corpore, & imas
Ingrediar terræ latebras, cæcumque profundum,
Agmina vbi patrum, & venerata pignora gentis
Iſaciæ damnata manent. Quæ gaudia mæſtis
Improuiſa feram, referam cum Numinis ortum,
Natalemque diem? Non famæ voce loquentis,
Sed me oculis hauſiſſe meis; tenuiſſe tenellum
Meque meis manibus. Conceſſum, matre iubente,
Complexu vinxiſſe meo. nunc clauſa tenebris
Agmina priſca patrum, mæſtam deponite frontem;
Continuata diu. Suſpiria mæſta, valete.
Sit modus ò vobis lacrymæ. Sit meta querelis.
Preſſa leuet tandem tanta ſe mole malorum
Gens dilecta polo. Superatis fluctibus, alto

Emen-

Emenſoque ſalo, vicini litoris ora
Expectata patet. puppis iam proxima, portum
Pene ſubit. Cæli iam gaudia læta propinquant,

CHRISTVS IN TEMPLO REPERTVS.

GAudia nulla tibi venient non miſta dolore
Dia parens? nunquam pubeſcet læta voluptas,
Gaudendique ſeges mæſto niſi rore madeſcat,
Et fletu matura tuo flaueſcat ariſtis,
Plenaque ſudato veniat tritura calore;
Horrea laxentur tua nec niſi meſſe, calenti
Sub cane collecta æſtiuo? vindemia læta
Nulla datur quin præla premant? per vulnera, ſudor
Balſaminus ſtillandus erit? nec thuris odores
Fumabant grati, niſi torrida flamma vaporet?
Quanta tibi dederunt natales gaudia nati
O bona diua tui? Aligerum concentus ab aſtris
Auditus, gratumque melos? ſylueſtris auenæ
Carmen, & ad numeros paſtorum fiſtula molles
Dulciſonis inflata modis, digitiſque canoris
Tacta, per & leuiter diſcreta foramina ductis,
Sidereæ micuere faces: ſplendoribus æthra
Noctis in opprobrium, & radijs afflata diurnis
Enituit. noua lampas cœlo fulſit, & aſtrum
Inſueto fulgore nouum, deduxit in antrum
Tergeminum regale decus, ſummoſque Dynaſtas
Munera in obſequium pueri, frugeſque Sabæas

Portantes. Sed enim rota verſa volubilis orbe
Triſtia quanta tulit? quæſitus protinus infans
Paruulus ad cædem. ſubitis mox luctibus omnis
Ora propinqua ſonat? laniantur pignora matrum
Illarum in gremio fundunt laniata cruorem,
Qui modo lac fuerat candenti dona papillæ.
Et tibi, virgo, ſalus, furtim quærenda per vmbras
Improuiſa venit. tellus ægyptia veſtram
Excepit monſtrata fugam. texere latebræ
Niliacæ donec ſublatis hoſtibus, infans
Auſpicijs ſuperum. cæloque iubente, migrare
Iuſſus, & ægypti peregrina ſede relicta
Nazarios, ſecurus opis remigrare penates.
Non durant ſed læta diu. tibi diua, dolendi
Materies ſuffecta recens. iam creuerat ætas,
Biſſenoſque puer numerabat grandior annos,
Virgineæ genitricis amor: ſolamen auitum,
Vna quies mentis; dulcis fax pectoris. ardor
Lenis, & aura leuis. Statio fidiſſima matri.
Ergo dies aderat, ſolemnibus annua ſacris,
Qua Solymæ ad templum, legalia iuſſa faceſsens
Turba frequens properabat iter, cultuque verendo,
Rite memor, grates ſupplex reddebat Olympo.
Obſequijs his Virgo pijs, ſociata marito
Virgineo, & nato, parens, immiſta frequenti
Fæmineæ turbæ, ſacras ſe immittit in ædes
Et templi penetrale ſubit, venerata Tonantem,
Quem ſecum bona Diua gerit; queis rite peractis
In reditum feſtina, die iam luce cadente
Hoſpitio ſe ſe recipit, ſubitoque receptæ
In natum magis ardet amor. rogat anxia nato
Quid factum? veſtigat amans. cognatio tota

Solli-

Sollicitè quæſita venit. rimatur amicos
Cætus. in notas ſolertia cuncta laborat.
Itque reditque frequens. & iam nox texerat vmbris
Inuidioſa diem; nigris magis ipſa tenebris
Erepto ſibi Sole, gemens, tumulatur ab vmbra.
Iam natus quæſitus abeſt: labor irritus omnis
Inſumptus pia Virgo tuus quid quæris amicos
Cætus? quid caros cognato & ſanguine iunctos
Officioſa rogas? dius ſi natus adeſſet,
An cum aliјs duxiſſe moras, te matre relicta,
Ipſe tuum cor, pars animæ mage cara parentis
Suſtineat; te quando vnam ſua vota requirunt?
Deſine rimari. in caſſum tua cura laborat.
O mihi quis referat quo tunc tranſacta dolore
Nox fuerit? quantis non vanis anxia curis?
Quo trepido ſociata metu? quàm ducta nigranti
In longum ſpatio? quàm nullo ſparſa ſopore
Leniter irriguo, aut ſociali ſata vapore?
Hæccine Virgo parens ſecum. Quæ cura parentis
Hæc potis eſſe mei in natum? Sic immemor ire
Incomitata vias, natoque abiuncta per omne
Quod calcâmus iter, lateri vt ſim paſſa petentem
Diuelli quandoque meo? potuère tuenda
Vſque meis oculis tam cari pignoris ora
Obtutu caruiſſe meo? Decora inclyta vultus,
Et ſpecies formoſa, procul quò tecta receſſit?
Quo quærenda loco veniat? mihi nuncius vnde
Amiſſi detur nati? lux vnde reperti?
Fortè per ignotos ſaltus peregrinus oberrat
Indigus hoſpitij? ducit ſub ſidere noctem
Inſomnem, cæloque rigens frigeſcit aperto?
Talia verſanti iam lux exorta diei

Matu-

Matutina micat. Si lux tamen vlla micare
Amiſſo ſibi Sole queat? Feſtina regreſſum
Accelerat ſolymas, notamque remigrat in Vrbem.
Tertia lux aderat, nec dum bona diua latentem,
Repererat natum, quamquam luſtraſſet acuto
Intuitu, tota Vrbe, vias. Sed templa Tonantis
Dum fortè ingreditur cultu & veneratur honore,
Aſpicit in mediis ſtantem læto ore Magiſtris,
Et reſponſa dare, atque hæc expectare rogantem.
O quæ verba queant Diæ retuliſſe parentis
Gaudia? vel quæ lingua ſatis dulcedine pectus
Explicet oppletum? quali torrente voluptas
Extulerit ſeſe ſenſus illapſa per omnes?
Quo ſuperire tumens, victo premat aggere ripas?
Non ſic vndoſo deprenſus nauta ponto,
Et tumido ſuperante ſalo ventoque furente,
Exultat patrias ſi tangat ſoſpes arenas?
Per lybiæ ſi tendat iter, deſerta viator
Non aliter gaudet, gelidi ſolatia fontis
Cum reperit ſitiens. Anceps errore viarum,
Sylvarum ambage & noctis tremefactus ab vmbris
Non ſecus exultat propiùs ſi viderit ignes,
Ductoremque viæ reperit ſi fortè viator.
Quàm geſtit nato tandem pia Virgo reperto,
Lætus in ora color rediit, frontemque ſerenam
Lux feſtiua tenet. gemmis ſcintillat ocellis,
Quale nitet, ſolare iubar, cum nubilus horror
Pulſus abit. tumidi ſubſidunt pectoris æſtus
Non aliter, venti quàm cum poſuere furentes,
Aſpera. pacato ſubſidunt æquora ponto,
Hæret in optatos, defixo lumine, vultus,
Immotamque putes illos haurire tuendo.

Ob-

Obſtaret ni fortè pudor, reuerentia ſexus,
Turba frequens hominum, toto circumflua templo
Iret in amplexus, caro daret oſcula nato.
Non tamen abſtinuit maternis illa querelis;
Anxia nec tantum potuit tacuiſſe dolorem?
At quò, Diua, tuus poterat diuertere natus,
Templa niſi ingrediens? Sedes cognata parenti
Et ſupero natiua domus. Sibi credita, natus
Munera obit Doctor iuſſu delata paterno.
Eſſe ſua hic decuit primum præcepta docentis;
Turba ſenum quali tremuit correpta pauore;
Quis ſtupor attonitos tenuit, tàm mira docentem
Dum puerum videre ſenes? præfulſerit vnde
Hoc iubar ingenij tantum? ſapientia parta
Vnde illi, tanta, & teneris adoleuerit annis
Fabriles operas inter, patriaſque ſecures?
Ligna magis ſecuiſſe manu, cathedraſque dolare;
Scandere quàm doctas aptus ſublimè Cathedras.
Turba ignaua ſenum, pudeat vos eſſe Magiſtros,
Submittat quæcumque ſuos ſapientia faſces?
Hunc adeat, qui ſcire cupit ſtudioſa Magiſtrum.
O vos, tota quibus libris impallu it ætas
Voluendis; & nox hyemis vigilata tenebris
Tantum pallady ſolers inſumpſit oliui,
Et producta diu exhauſit ſiccata lucernas
Hùc properate citi. plus hoc didiciſſe Magiſtro
Rite ſemel dabitur, ſtudijs quàm cana ſenectus
Et tanto dudum potuit tenuiſſe labore.
Orbe diu celebres toto, ſiluiſtis Athenæ.
Porticus erubuit. platani ſub frondibus vmbra
Amiſit celebrata decus, ſpecimenque coruſcum.
Zenonas memorare pudet. Sit nulla Platonis

Cura memor. mergant obliuia cuncta Cleantem.
Inclyta ſocratici iaceant monumenta laboris.
Clara Stagiritæ tumulentur dogmata. cuncta,
Crebra per ora virum, ſileant documenta lycæi;
Hoc ſemel audito ingenij quæcumque volucris
Ala ſenis depreſſa iacet, fulgentia cæli
Agmina, & ætherea præſtantes mente cohortes,
Ingenij quibus vlla nequit par eſſe poteſtas;
Cunctaque momento rimandi maius acumen
Conceſſum nulli; dant vltro præmia palmæ,
Et puero huic meritos gaudent ſummittere faſces.
O liceat nobis tecum, pia Virgo, reperto
Gaudia pro nato coniungere. fleuimus ipſi
Ad lacrymas pia diua tuas, nos gaudia tangant;
Hæc eadem. nobis eadem ſit læta voluptas.
Heu, bona Virgo, ſemel tibi contigit, & ſine noxa
Nunc natum amiſiſſe tuum. nos ſæpè nocentes
Deſidia, & ſcelerum noxis amittimus vltro,
Cura nec amiſſi ſubit vlla, nec vlla nocentes
Quærendi nos cura tenet. Si deuius error
Nos aliquando rapit, mentis concede regreſſum
Ad natum pia Virgo tuum. Quæ dura retardant
Perque vias obiecta obſtant, curſumque morantur
Prorue, diua, manu, fallentes tramite calles
Obliquo, vitare doce. da inſiſtere rectis,
Præque faces oſtende tuas, ſi nubilus horror,
Et mentem caligo tegat. ſi torpor, eundo
Detineat, nectatque moras, calcaribus vrge
Et ſtimulis iter accelera. Sirenibus auris
Ingreſſum prohibe; cantus auerte nocentes.
Illecebris præclude fores, quæcumque voluptas
Are tum iter inueniat. duras perfringe catenas

Turpis

Turpis auaritiæ. Quæ nectit vincla libido,
Et nexus, male ſanus amor, tricaſque tenaces,
Quas nonnulla queat vis ſoluere; ſolue potenti
Auxilio bona Diua tuo. Quis namque catenis
His vinctus ſcelerum, amiſſum ſibi quærere Numen,
Compedibuſque queat, tua ni præfulſerit eos;
Quò cæci carpamus iter? tàm ſæpè ruentes
Quæ ſuppoſta manus teneat, tollatque caducos?
Quis reperire dabit natum? in te cura recumbit
Hæc omnis pia Virgo. tuum eſt hoc munus obire.
Te ſine, ſoſpes erit nullus. tibi cælite nutu
Tota patrocinij ſpes vna, & cura relicta eſt.
Diua potes. iuſſiſque tuis ſuccumbit Olympus,
Nec patitur natus votis fraudare parentem,
Ire vel in caſſum tàm dulciter ora rogantis.

CHRISTVS ORAT IN HORTO GETSEMANI.

ITe procul læti iamdudum gaudia cantus
Carminibus celebrata meis, lugubria poſcit
Virgineus nunc noſtra dolor. gemmantia prata
Purpureis modo fæta roſis, nunc aſpera crebro
Sunt vepre ſenticomo. noſtris laniena paratur
Dura nimis ſpectanda oculis. proluſit amæna
Pompa theatralis gaudiorum; ſcena dolorum
Ad luctum nunc mæſta datur, fulgentibus aſtris,
Pro ſplendore facum, lacrymoſo rore videnda.
Non, vt rite ſoles adſis bene cultus Apollo,

Neue coma radiante tua, vel fuluus amictum,
Pullata ſed veſte veni. mærore capillus
Incultus de fronte cadat; tecumque Camœnæ
Syrma trahant longum. mæſtas dent ora querelas.
Nōn litui, cytharæque ſonent, nec plectra reſultent
Feſtiuis animata modis. det buccina cantus
Mæſta ſuos tacitè, raucoque immurmuret ære.
Hortatus ſociam Dio ſermone cohortem
Poſt epulas, ſacramque dapem. pedibuſque lauacro
Ablutis terſiſque manu, niueoque torali
Demiſſi præbens animi documenta Magiſter,
Dum nox nigra polo tenebroſis incubat vmbris,
Egreditur, cætuque ſuo comitatus amico
Getſemani ad collem & pubentes floribus hortos
Tendit amans nocturnus iter. Quid, diue, virenti
In ſylua nocturnus agas? florentia prata
Te nimis haud capiant. nemoris frondoſa voluptas
Ne illecebroſa trahat. torrens ſuperādus aquarū eſt
Et dubium Cedronis iter. malè peruia vallis
Interiecta iacet; tenebroſæ noctis amictus
Cuncta horrore tegens tenebris obſtabit eunti.
Ah, mea, diue, tui ne mens ſit præſcia fati.
Infelix ne ærumna premat. ſic augur Apollo,
Vaticina me voce monet. ſic triſtis in aurem
Inſinuat mea Muſa meam. torrente vadato
Cedronis facili, magnus tibi ſurget aquarum,
Vndoſique ſali cumulus. pelaguſque laborum.
Anceps cura tenet. tot ne tibi fontibus hortus
Eliciat plumas lacrymarum nubifer imbres,
Sanguineoſque pluat toto de corpore riuos.
Ne ærumnæ ſit terra ferax, meſſiſque malorum
Creſcat adulta ſinu. verno tibi tempore, nimbis
Dura

Dura rigeſcat hyems, ſæuiſque aquilonibus aucta
Tempeſtate fremat. pratorum florea pubes
In te ſenticomis acuat mucronibus iras.
Sylua tuis reſonans reſpondeat atra querelis,
Et tua miſta ſuis referant ſuſpiria venti.
Hæc dum mœſta cano, virides intrauerat hortos
Getſemani, iuſſis aliis in limine cunctis
Ferre moras, ſocios propiori tramite ſecum
Tres iubet eſſe ſimul (lateris cuſtodia pernox.)
O mihi quis referat ſeceſſum mentis, & ore
Vſque preces vigiles funeſta nocte profuſas?
Genua ſolo defixa tenens, ſuſpenſus Olympo
Vultum; & ad æternum defixa mente parentem,
Spontè ſua morti ſe offert. mox horrida imago
Corda necis pulſat, ſubeunt & tædia mentem.
Mæſtitiæ dios vultus obnubilat horror.
Languida membra labant trepido concuſſa pauore,
Infuſuſque algens totos tremor occupat artus.
Alternant trepida ora vices. lethalis in ora.
Itque reditque color. tremefactus imagine mortis
Infecit pallore genas. mærore grauantur
Colla graui. repetit dum triſtia mentis imago,
Ante necem mors ipſa ſubit. pater optime, tantum
Si funus vltare datur, concede petenti;
Et ſi ritè potes tàm triſtes funeris hauſtus
Exorbere nega: tua ſin decreta iubentis
Inconcuſſa manent, nullo & varianda tenore,
Imperiis me ſubdo tuis. quodcumque ſubibo
Sit durum, ſit triſte licet. iuuat ire per omne
Ærumnæ grauioris iter; durique laboris
Te cupiente, gradus. opprobria nulla recuſo,
Sint numeroſa licet. tempeſtas ſæua dolorum

Obruat. inneſtant nodoſa volumina, & arcta
Vincla terant religata manus. ſine lege, flagellis
Parcatur nullis. reſonent mea membra repulſa
Verberibus crebris. laxentur brachia motu
Cædentum aſſiduo. pulſis reuerentia diuis
Sitque meis non vlla genis. liuentibus ora
Sint fœdata notis; fœdis conſperſa ſaliuis;
Vulnera, non artus feriantur. Sæua per omnes
Membrorum articulos vltrix laniena triumphet.
Sed mutat natura vices. ingentibus obſtat
Naturæ ſenſus votis. obiecta recurſans
Terret imago necis. renouatur pugna pauoris,
Et mæror noua bella ciet. noua tædia mentem
Lethali torpore grauant. Certamina ſurgunt
Intra animi clauſtra, & propius noua lucta cietur
Affectus inter varios. parere recuſant
Subiectæ vires animo, cætuſque frementes
Damnati ad ſeruile iugum. Mens ardua cogit
Tradita iuſſa ſequi. Domitrix regina voluntas
Seditioſa iubet compeſci prælia turmæ,
Et ſua frena pati, meritiſque ſubeſſe lupatis.
Proh pietas? hæc dum certamina mutua, ſurgunt
Præceps in terram pro ſterneris. ora recumbunt
Prona ſolo, toto porrecto corpore langues.
Robur vbi nunc Diue tuum? tibi viribus impar
Robur erit quodcumque potens. tune ille labantis
Orbis enim non fictus Atlas? non carmine vano
Tune ille Alcides mundum qui ſuſtinet, atque
Hanc rerum molem nullo fundaminē librat
Vt nutu ſit firma ſuo. qui diue ruinas
Et noſtros lapſus potis es fulcire caducos,
In terram procumbis iners? quo pondere virtus
Preſſa

Preſſa iacet labefacta graui? qua mole laborum
Deficit, atque oneri tanto proſternitur, impar.
Heu ſcelerum moles longos congeſta per annos;
Noxarum inſanum nullo non tempore pondus
Hanc vos præcipitem tribuiſtis turpe ruinam;
Hac veſtra ſub mole labat. quàm pondus iniqum,
Cui potuit, noſtri miſerens, ſuccumbere Numen.
O mea quin triſti ſoluantur lumina fletu!
Occupet ora pudor; rumpantur corda dolore
Ipſe etiam in partem venio, bone diue, ruinæ.
Sum lapſus pars magna tui. dum crimina mentem
Ante tuam, ſpectris varijs obiecta recurſant,
Et mea, litoreas cenſu quæ vincere arenas
In numerum digeſta queunt fęďiſſima; mentem
Implicuère tuam. cumulato pondere, terga
Atque humeros preſsère tuos. eſt nulla tacenti
Cura memor, quæ præſtet opem? quæ ſubleuet imo
Membra ſupina ſolo? quid nunc turba obruta ſomno
Stertis adhuc vecors ſociorum? tanta Magiſtri
Neglecti, veſtram tenuere obliuia mentem?
Ter iuſſi vigiles orando ducere noctem,
Ter moniti torpetis adhuc; nec lumina ſomno
Fraudare, aut ſegni ſubducere membra quieti
Ignauoſque pedum greſſus vrgere poteſtis?
Implorem cæleſtis opem, gratumque leuamen
Auxilij? cuncti iurato fœdere diui
In pœnas coiêre ſuas. Mandata Tonantis
Ales olympiacus tenebroſæ noctis in vmbris
Mæſta ferens, illi hæc iuſſus ſolatia præbet.
Hic hauſtus ſorbendus erit. potanda dolorum
Fæx tota; atque hauſtu liquor hic ſiccandus amaro.
O bone diue iaces? Minus eſt iacuiſſe madentem

Sanguine te cervo. toto de corpore largo
Perpluit imbre cruor. tellus vicina fluenti
Purpureo de rore rubet. ſitientibus herbis
Hauſto hoc rore, vigor, viridiſque refloruit ætas.
Aura leuis volitans, hoc perlita ſanguine pennas
Ambit habere ſuas. leuibus cur immoror iſtis?
Ipſa genu Pietas deflexo, ac prona recumbens
Sanguineas ſacro ore legit de germine guttas,
Lambit & effuſi ſtillantia dona cruoris.
Quid tu caſte pudor? diuino hoc murice geſtis
Non vano ſucare genas. ſua lilia candor
Virgineus, miſcere roſis ſocialibus ambit.
Cælituum quæ turba frequens, diſperſa per herbas
Officioſa legens ſudatos ſanguinis imbres
Electro incluſos, veneratum munus olympo,
Affert, primitias effuſi ſponte cruoris;
Immenſum pretium patientis grande tributum.
Quale examen apum volitans florentia circum
Prata referta thymo, cupido legit ore liquores
Quos nox vda ſuis humentibus extulit vmbris,
Atque ad nota redux aluearia condita portat;
Non ſecus effuſi per gramina dona cruoris
Cælituum pennata cohors legit anxia, & affert
Optatum cælo properati munus amoris.
O rubra, non vllis præcox vindemia prælis
Preſſa, ſed egrediens, venis manantibus vltro
Auſpiciis quàm læta venis? quàm grata, ſaluti
Pocula propinas? Sunt hæc tua munera, diue
Irrequietus amor. Sunt hæc tua munera, diue
Irrequiete dolor. quantas dabit iſte triumphos
Ferre viros, ferre imbelles ſub cæde puellas
Purpureus ſanguis? Quàm plurima palma vireſcet
Imbre

Imbre rigata ſuo victrix generoſa cruento?
Robore quo Pietas, & roris adulta valeſcet
Sanguinei ſucco, vitali pota liquore?
Ardentes flammæ, nocuique cupidinis æſtus
Igne venus flagrans, quanta hic tibi prælia ſanguis
Indefeſſa dabit? venies quanto obruta fluctu?
Quæ fuga præcipites ſtygias dabit ire cohortes
Tartaream ad ſedem viſo hoc per membra cruore?
Eumenides fugiunt? hominum ſcelerata per vmbras
Aduentat captura Phalanx. fremere arma tumultu
Non ne prope auditis? video lucere micantes,
Furtiua ſub luce faces, & ſpicula cerno
Hoſtili vibranda manu; gladioſque minaces
Et fuſtes & vincla gerunt. Quid, talia poſcunt
Inſtrumenta necis? mea me ni lumina fallunt
Per tenebras, agnoſco caput, ſæuæque cohortis
Ductorem egregium. notus mihi quæſtor auarus,
Et loculos ſeruare tenax, mercator Iudas
Turpis àuaritiæ. Quid tandem mente volutet
Expectare libet. Proprius ſubit ora magiſtri,
Complexuque ligat, mox figit & oſcula labris
Proditor, & ſigno turbis demonſtrat amico,
Quem teneant, vincliſque ligent. O fœdior orci
Progenies. ſoboles plutonia peſtis Auerni
Qua non vlla nocens peior. ſunt haccine tandem
Hauſta tibi, infelix, tanto documenta magiſtro?
Huc cecidere pÿ tandem præcepta lycæi?
Ingenuam violare fidem? corrumpere fœda
Proditione decus? fieri tàm turpiter auro
Indignum, venale, caput? mercede paciſci
Sanguine de innocuo, tam vili? bella ciere
Pacis oliuiferæ ſub ſignis oſcula labris

Figere tartareum ſed condere corde venenum?
Perfidiam velare fide? officijsque benignis
Turpe nocere tuis? factus deſertor auarus
Qui ſectator eras? nuper conuiua receptus,
Nunc ſocius cædis. pridem cænantibus hoſpes,
Proditor hoſpitij nunc fallax? voce cohortes
Vna proſtratæ, nequeunt cohibere furorem
Dux inſane tuum? nequijt mollire rigentem
Duritiem, vox illa, ſuum quæ appellat amicum?
Sunt quæcumque minus ſcelerum portenta nocentum
Criminibus collata tuis. toto orbe recurret
Fama tui ſceleris. delebit nulla vetuſtas.
Aſt ego turpe reum contenta voce, quid vnum
Proditionis ago? cur vnum probra laceſſunt
Emeritum venale caput? Quot criminis huius
Cernimus eſſe reos? ſcelerato venditur auro
Non ne etiam nunc ſæpè Deus? cænoſa libido
Præfertur quoties? quoties vindicta cruento
Nos pretio redimit? Mercatur lena voluptas
Blanditijs quàm ſæpè ſuis? conceditur vltro
Liuori quodcumque capit. ſpernatur olympus?
Sollicitet non vllus amor, non vlla iubentis
Numinis imperia? optatis modo proſpera dentur,
Et cælum venale datur. Gens impia, ſecum
Hoc duce, voluit idem ſed enim bone diuc per vmbras
Horriſona non voce tonas? non fulmina vibras,
Vindictæ terrore minax; ſed verba reponis
Mitia. vinciri pateris, tua membra catenis,
Compita perque trahi? renuis, nec ſæpè ruentem
Procubuiſſe ſolo? tantum nos tollere in altum;
Inſerere atque tuis, placuit, bone conditor aſtris?

CHRI-

CHRISTVS FLAGELLIS CÆSVS.

Coniectum in vincla, & numeroſo milite ſeptum
Getſemani in pratis, & odoris floribus hortis
Collis oliuiferi, roſeo & ſudore madentem
Non licuit, mea muſa, ſequi nox obſtitit vmbris
Importuna ſuis. circum cuſtodia pernox?
Lictorum conſerta manus, creberque ſatelles
Arcebat furioſus iter. per compita clamor
Inſanus concita frequens noua turba tumultu
Difficiles dabat ire vias. mærore grauati
Subſtitimus, donec radijs Aurora coruſcis
Ferret adulta diem, mæſtiſque miſerrima nobis
Nuncia fama daret, quæ nox tulit illa malorum.
Heu mihi quæ triſtis vox eſt illapſa per aures
Attonito quantus ſubijt, fama indice, luctus;
Et quantus mea corda dolor? fecere nocentem,
Sacrilegi *percuncta, Deum. indignatus Olympus*
Auribus obdit iter. probroſa calumnia, dictis
Ipſa vel erubuit, nunquam perfuſa pudore.
Quæ nox illa dedit ſpectacula tetra? tribunal
Omne per ire Deum vidit. coiere frequentes
Illius in cædem cuncti. dementia vulgi;
Ingeniumque ferox, & mobile. ſæua nocentum
Turba ſacerdotum. producti ad crimina teſtes
Mendaces nouos populi conciſſe tumultus,
Affectaſſe decus regni ſceptrumque regendum;

Per capita impoſitis gentem abſoluiſſe tributis;
Romuleas cunctas leges voluiſſe refixas.
Hæccine liuor edax, odijsque inflatus iniquis?
Ambitioſa lues? dominandi dira cupido?
Immanis rabies? cordis furiale venenum,
Per ſummum potuere nefas, efferre nefanda?
Has inijſſe vias, aſtus docuere doloſi?
Hoc homini tantum licuit? non tartara tanto,
Non furor Eumenidum ſceleri laxaſſet habenas.
Proh dolor. inſonti decreta eſt pœna nocentum.
Perfidiæ damnata fides. vinxere catenæ
Eripuit qui colla iugo ſuppoſta tyranni
Tartarei. innumeris ſunt tradita membra flagellis,
Et crebro nudata diu ſub fuſte laborant.
Ora verecundo quali perfuſa rubore?
Deiectæque genæ quantum? cum nudus amictu
Tot patuit ſpectantum oculis? tot ſpicula ab arcu
Hoſtili iaculata putes. quin dextra ſagittis
Credetur nocuiſſe minus. demiſſa verendi
Lumina ſtant vultus. nigris nox atra tenebris
Quin ſubitis hæc probra tegis? Sol aureæ lucis
Lentus adhuc ceſſas rutilo circumdare amictu
Membra verenda tuo? Tellus ſpoliata roſetis
Vere nouo, & deſes ſuccurrere Flora morantur?
Sed iam marmoreo religantur membra Cylindro,
Et ſuperum vincitur Honor. potuere catenæ
Immotum tenuiſſe Deum? non vincla Cylindro;
Vinxit Amor te Diue tuus. te nexibus iſtis
Durior ille ligat. Sua vis infracta repugnat,
Hæc ne vincla cadant, ruptis cum marmore vinclis.
Diue potens nutu mundum fulcire labantem
Languida membra leuas tenui ſuffulta columna?

Saxa regunt, in quem ſpes tota innixa recumbit
Humanæ ſobolis? tantus ſuccurrere noſtris
Caſibus eſt amor. O quæ ſed concita flagellis
Tempeſtas furioſa tonat? non æthere nimbi
Diſrupta ſic nube ruunt; non horrida grando
Crebra quatit ſic ſæua ſolum, quot lorea membris
Verbera pulſa ſonant. manant ſudore lacerti.
Sanguine membra madent, laxantur robora dextris,
Cædentum. cæſo victrix conſtantia creſcit.
Aſſiduis acuunt ſocijs clamoribus iras.
Ad noua defectas inflammant verbera vires.
Ictibus incumbunt, qui fortius, inclita laudum
Et decora, & celebris referunt præconia palmæ.
Eumenidum cognata cohors; furioſa Megeræ
Pignora; vipereis peiores anguibus angues,
Quando hæc tempeſtas numeroſis fæta flagellis
Accipiet lenita modum? vix ſuſtinet artus;
Vita cadens; feriuntur vulnera, nulla ſuperſit
Cum pars à plaga immunis. ſit meta furori?
Sic ſæuire iterum cupiat furioſa libido?
Ah. mea quin iſtis ſubduntur terga flagellis;
Supplicium mihi ritè datum? meruère patrata
Crimina, vita nocens, nullo non tempore. iuſſis
Mens auerſa tuis; laxataque frena per omne
Quod vetitum percurrit iter, cænoſa voluptas.
Hæc me ſaxa decent. hæc debita vincla ſuperbis
Auſibus vſque meis, ad noxia quæque profuſis,
Non te, diue, decent, ſcelerum contage ſolutum,
Qui indefeſſa cies, inimicaque prælia tentas
Inſcelus omne minax. bellatrix, arma mouendi
Hæc te cura polo detraxit. fœdera nulla
Hac cum peſte tibi. viuus pugnabis in hoſtem,

Et

Et moriens infeſtus eris. rediuiuus ad arma
Fortior aſſurges, nec pugnax cura recedet
Donec tota phalanx ſcelerum proſtrata recumbat.
Supplicij ſed cerne genus? damnata flagellis
Membra vides fœdis? raptoribus iſta luenda
Pœna datur vindex. nocuas proferte rapinas
Hoſtiles Erebi peſtes? cenſete rapaci
Furta relata manu? modo tot benefacta, malignis
His veniunt ſignanda notis? huc turba profuſis
Muneribus cumulata ſuis, mendacia fœdis
Euincas, immiſta probris? nempe ille flagellis
Lethiferis dignus, qui mortua corpora letho
Surripuit? putres cineres animauit & vrnas?
Dicite qui inualidis iacuiſtis viribus ægri,
An ſteterint ſubito languentia robore membra?
Natalem ſine luce diem, qui & lumine caſſi.
Experti primos ortus; oculiſque peremptis,
Quot Solem videre nouum. Quot crure caduco
Corripuere gradum celeres? Subuecta feretro
Vere nouo nitido pubeſcens flore iuuenta,
Nonne datur vitæ reduci lacrymiſque parentis?
Quid referam morbos alios? Quid iuſſa iacentum
Surgere membra toris, morbis terrore fugatis?
Nec te prætercam languenti corpore, ad vidas
Tot, medicas annos, pigro torpore iacentem
Nulla ope ſubnixum? confeſtim viuida, nutu
Eſt tibi parta ſalus fulſerunt terga grabatum,
Quod modo ſuppoſitum languentes fulſerat artus.
Nonne ſuum præſens alij ſenſere leuamen
Vel quibus emotam mentem lymphaticus error
Abſtulerat? vel quos verſatilis ira Dianæ
Strauerat, & crebra vertigine ſana rotarat?

V.el

Vel nimius quos humor aquæ, atque intercutis vndæ
Illapſus membris inflarat. membra ſolutis
Artubus aſſiduo vel queis ſunt quaſſa tremore.
Quid vos, nulla quibus fuerat vis auribus? aut queis
Muta diu penitus tenuère ſilentia linguam?
Eius & imperio linguæ eſt conceſſa poteſtas,
Mutua ſunt auri commercia reddita vocum.
Vt taceam pulſos obſeſſo è corpore manes;
Et liquiſſe locum ſubito terrore fugaces.
Scilicet hæ flagris plectendæ turpe rapinæ?
Furta hæc innumeris venient plectenda flagellis?
Tartareo deuota rogo, gens impia; veſtra
Hæc tormenta manent ſcelerati criminis auſa!
Vipereis quatiet Furiarum turba flagellis.
Inſurget contra ſociatis viribus orcus.
Irrequieta cohors laniabit membra ceraſtis.
Ærumnis non vlla quies non vlla dolori.
Ante oculos, tormentũ ingens, hæc flagra recurrẽt?
Iugiter ante oculos lacrymabilis vmbra redibit
Quid nos interea. ſicca, hæc tormenta tueri
Lumina noſtra queant? largo pluit ille cruore?
Fletus erit nullus? laniantur membra flagellis!
Corda dolor laceret nullus? pia marmora ſanguis
Molliat; in lapides abeant præcordia duros?
Raptorum pœnas ſubeat, qui larga profudit
Munera! raptores indulgens pœna ſequatur?
Sint vincla innocuo, detrectent vincla nocentes?
Ah liceat nobis ſupponere terga flagellis
Diue tuis. veniat nobis hæc pœna luenda.
Nos auſi lethale nefas. nos impia contra
Mouimus arma polum. fœdè nudentur amictu
Corpora, quæ ingenui nulli texere rubores;
Nulla verecundi velarunt ſigna pudoris.

CHRISTVS SPINIS CORONATVS.

NOn vnus regnator Amor. ſua regna gubernat;
Et geſtat ſua ſceptra dolor. Sed nulla teneret
Regna dolor, ni Dius Amor ſibi fœdere iuncto
Iſta cruenta prius ceſſiſſet regna dolori.
In regnum hoc gemini concordi fœdere reges
Exercent ſua iura. Dolor data membra triumphat;
Corda triumphat Amor. tanto ſed meta dolori
Quando erit? incuſſis numero ô verbere flagris
Vidimus exanguem largo licet imbre cruoris
Perpluerent, miſto & manarent corpora tabo;
Maior adhuc ſupereſt triſtis laniena furori
Exercenda truci? tormentis meta, columna
Non fuit illa ſatis. ſuccedet, Diue, flagellis
Pœnarum regalis honor. de ceſpite ſertum
Senticomo te turpe manet. ludibria rubri
Muricis, & ſceptri vacuum geſtamen. Arundo.
Ergo intexta rigens numeroſo vepre corona
Preſſa tenet regale caput. frontem aſperat horror
Dumeus. infixi paſcuntur tempora ſentes,
Et ſpinoſa ſeges ſitiens bibit alta cruorem.
Hei mihi. purpurei decurrunt ſanguine riui
Et roſeus de fronte latex fluit vbere vena?
O vbi dij vultus abijt color ille niualis,
Et natiuus vbi roſeus rubor ille genarum?
Cuncta cruore madent. fœdata aſpergine turpi

Omnia

Omnia tecta letent. oculorum fulgor eous
Sanguinea ſub nube latet. Quod ſplenduit auro
Fœdatur crinale decus. barbæ aurea pubes
Horrida concreto ſordeſcit ſanguinis imbre.
Quando modus pœnis? furiata mente ſatelles
Serta premit capiti. terebrantur tempora dumis;
Sacrilega compreſſa manu. Latebroſa cerebri
Iuncea, cuſpidibus ſæpes rimatur acutis,
Et capitis penetrale ſubit. mortalibus ira
Tanta viget tantum licuit mortalibus auſis?
Turpia fulmineæ ſic ducitis otia flammæ?
Sic lentæ ſtant nube faces? iuga celſa cremantur,
Montanique apices veſtris in fragmina flammis
Diſſiliunt nullo polluti crimine. fœda hęc,
Execranda lues hominum, cętuſque nocentum
Sacrilegus veſtros vltores deſpicit ignes?
Non ſat erat crebris artus laniaſſe flagellis
Et venerata polo, palma violaſſe nefanda
Ora ſacraſque genas. Mediam raptaſſe per Vrbem.
Latronum ritu. inſontem vinxiſſe catenis,
Inſano clamore reum damnaſſe tribunal
Per quodcumque Deum. riſu exprobraſſe pudendo?
Additis hæc etiam vani ludibria regni,
Atque ignominia cumulatis turpè dolorem?
Hoccine nempè caput ludicro ex ſente coronam
Indecoremque ferat; radijs ambire coruſcis.
Optares quod Phœbe tuis? fulgoribus aſtra
Irradiare ſuis, Quæuis vileſcet erythræ
Gemma micans, tantumque decus ſibi poſcere nulla
Auſa foret. mortale decus, donumque caducum,
Æternum qui regna gerit? Quæ cura momordit
Cælicolum vos, turbas ſenum, conſueta coronas

Illius

Illius ante pedes veſtras proſternere? Numen
Senticomam quando vidiſtis ferre coronam?
Hoc ne caput geſtare vepres hirtiſque pudendum
Turpe ſubeſſe rubis? potuit regnator olympi
Hoccine ferre probrum? tanto indulgetur amori
Diue, tuo vt decori reuerentia nulla ſuperſit;
Cuncta vnus moderetur Amor? ſint omnia nutu
Iura regenda ſuo? maieſtas preſſa laboret?
Erubuit natura parens; hæc condita rerum
Obſtupuit moles gelido tremefacta pauore,
Vidit vt hæc mærens vani ludibria Regni
Auctori delata ſuo. nempe hiccine vertex
Cui quæcumque vigent, dant vltro regna tributum,
Imperijs ſubiecta ſuis? qui legibus orbem
Ire ſuis ſtatuit? cuius vaſta æquora nutum
Expectant tremebunda. ferox nil auſa procella
Illo vnquam inuito? compeſcunt frena furentes
Cum iubet, & laxant cum iuſſerit, impigra, venti?
Illius ad nutum ſtabili fundamine nixa
Terra labat? ſolem nox improuiſa coruſcum
Auferet è medio dum voluitur arduus axe,
Et noctem radiare dabit? pluet orbe ſereno,
Inuoluetque polum tempeſtas imbribus atra?
Igne niues torrere dabit? dabit ignea, canas
Tempora ferre niues, mundique inuertere leges.
Quid tua mens agitet, gens impia, diue reuoluit
Mente memor nulla. ſpinoſo ceſpite cingit
Inconſulta caput, cuius ſunt omnia vota,
Sit data meta malis. ſtygium ſeruile tyranni
Excutiat ceruice iugum, duriſque catenis
Se tandem ſcelerum ſoluat. dediſcat iniqua
Obliquas calcare vias, inſiſtere rectis

Di-

Diſcat.amica polo coniungat fœdera;& arma
Irrequieta gerens, ditis ferat agmina contra.
Hic labor omnis erat ſuus.hic erat igneus ardor
Pectoris. hæc mentem complebant grandia vota.
Dicite vos,illum quoties iuga celſa petentem
Vidiſtis montana ſuper?documenta magiſter
Indè dabat turbis. Dio ſermone,ſequentes:
Ad rectum reuocabat iter. per deuia lapſis
Ad ſuperos monſtrare vias.ad murmura fontis
Cerua velut ſitiens an non defeſſus ab æſtu
Conſedit? Cyprias prope fontem diſpulit ignes?
Quid tu qui cupiens illum ſpectare loquentem,
Exiguus membris, menſura & corporis arcta
Arboris alta petis? ſubitus deſcenſus, ad aſtra
Non tibi fecit iter? memorem Betthanida cuius
Vita nocens, veneris cunctos exhauſerat æſtus;
Quamque cupidineis vaſtarat flamma caminis?
An non virgineas potuit ſociare cohortes?
Membra quid innumeris morborum peſtibus ægra
Conualuiſſe ſuis referam parentia iuſſis?
Claudus iter ſubitum ſenſit. rediere carenti
Lumina.longa diù periere ſilentia mutis.
Auribus & ſurdis data ſunt commercia vocum?
Quis numeret quanti inſanos poſuere furores
Quos lunare iubar toties dedit eſſe ruentes;
Et domitam vicere luem,nullaſque Dianæ
Exin præcipites ſenſère volubilis iras.
Non ibunt indicta mihi rediuiua ſepulcris
Funera, proſtratamque ſua intra mænia,mortem.
Teſtis erit, feretro reuocata,naima iuuentus.
Et bethana ſuis lacrymata ſororibus vrna.
Scilicet hæc ſpinis benefacta rependitis? atque hoc

Munus in obſequium; pungentia ſerta paratis?
Lilia, virgineos decuiſſet cingere crines,
Et ſine ſente roſas veneratæ frontis honores;
Immortale decus; non vllo vere caducum.
Impoſuiſſe, magis decuit frondentis oliuæ
Serta ſuo capiti; reddit nam fœdera terris,
Et genus inuiſum patrio coniungit olympo.
Ante pedes olim victrices ſternere palmas,
Et canere emerito laudum pæana poteſtis?
Mente ſed immemori nunc turba volubilis, alto
Imponis capiti probroſo è ſente coronam?
Hæc te ſerta decent, ſoboles inuiſa Tonanti,
Vipereumque genus. veſtris infix . medullis
Stet dumoſa ſeges. veſtrum caput horrida iuncis
Tranſadigat ſæpes ſtimulis plectantur acutis
Tempora ſæta dolis, ſcelerum quodcumque nefandũ
Nata fouere genus. dominandi ſæua cupido
Hos petit vltores vepres. petit ardor auarus;
Inuidus & liuor poſcit. petit ira cruenta
Sanguinis innocui faſtus, frontiſque ſuperbæ
Grande ſupercilium. fœdis ſpoliata rapinis
Numinis obtentu, miſerorum cuncta parentum.
Impia periuræ memorem mendacia linguæ?
In patres neglectus honor venit ore ſilendus?
Immemor an ſileam corrupti crimina teſtis?
Prætercam, accenſam ad conuicia barbara plebem?
Hæc ſpinis plectenda forent. Sed ſera, merentes
Pœna manet maior vindex. vertetur arundo
Iſta leuis, diæ dextræ geſtamen iniquum,
Ferrea in emeritę plectentis pondere clauæ
Admiſſum ſuper omne, nefas hæc conteret vltrix
Progeniem inuiſam ſuperis. dabit iſta ruinas

In

In meritas veſtrum ire domos fundamina regni
Sedibus ex imis miſerè labefacta iacebunt.
O genus exilio damnatum? errare per orbem
Gens vaga iuſſa Deo? probroſum nomen in omni
Terrarum ſub Sole plaga. qua ſaucia pectus
Sente eris: hæc cernes quando ludibria regni
Æternùm dare iura polo? de vepre coronam
Solis inoccidui in radios abijſſe coruſcos?
Æternumque ſua durare ab arundine regnum?
At melior me cura tenet bone diue; cruentam
Hanc ſegetem venerati verticis; horrida ſerta
Senticomis inteſta rubis, prece ſupplice, poſco
Si capiti non ferre datur, ſub pectora condas.
Ex quo namque tuum cinxerunt aſpera dumis
Serta verenda caput, nocuo mucrone retuſo
Vulnera ferre negant, vel ſi quæ vulnera figunt
Vulneribus ſunt grata ſuis. opprobria frontis
In ſummum vertere decus. nil ſentibus iſtis
Splendet in orbe magis, vileſcunt ſerta potentum.
(Frontis honos) Regum gemmis radiata coruſcis,
Et pretio quæſita ſuo. delubra Tonantis
Hoc vepre ſenticomo, paſſi dum numinis, atra,
Candida ſed nobis, redeunt ſolemnia, cultu
Nil magis auguſtum præbent venerabile ſacro.
O bona diua, refer, ſenarum gloria, ſerta
Cum tibi bina forent, ſupremi munus olympi,
Arbitrio ſumenda tuo, delata iacenti,
Floribus iſta nouis vernantibus, illa cruentis
Obſita dumoſis vepribus; delecta volenti
Vtra tibi fuerint? verno quæ flore renident,
Nil mentem mouere tuam. dumoſa voluptas
Eſt tibi grata magis. dotali hoc ſente pudicum

Augebis formoſa decus. par ibit Amori
Nupta ſuo. ſimili cingentur tempora ſerto.
Quid mortale genus flores ſectaris inanes?
Fronte roſas ambis ſubito languore caducas?
Mucro rigens ſub flore latet. Quæſita voluptas,
Læta nitens oculis roſeos imitabitur ortus.
Mane vigent, properum in noctem ſenſere feretrum.

CHRISTVS CRVCEM BAIVLANS.

HEV, quæ funeſto tuba nunc clangore reſultat?
Quàm raucos dat ſępè ſonos vocale metallũ,
Et longum ferale gemit? numeroſa tumultu
Turba fremens vrbana, vias clamoribus implet,
Itque, reditque frequens. Lictorum, fuſtibus, agmen
Stipatum recludit iter. tamen ingruit ingens
Vſque nouus populi vndantis circumfluus amnis,
Et fluctu vndiuago, magno velut ęquor ab æſtu,
Huc, illuc fertur. portas ſe ſe agmen agebat
Extra Vrbis Solymę. famoſum fama tribunal
Clamabat damnaſſe reum. me cura videndi
Sollicitat, tangitque animum non vana cupido
Tot ſcelerum nouiſſe caput. me me inſero turbis.
Difficiles prępando vias; aditumque tuendi
Inuenio tandem; cumque hęc ſpectacula cerno,
Conſtitit attonito ſanguis. tremor occupat artus.
Suffuſæ pallore genę. per membra cucurrit
Lethalis ſudor. trepido veſtigia nutant;

Tor-

Torpuit, hæſit iners, ſicco mea lingua palato,
In caſſum conata loqui. ſtupor abſtulit omnem
Mentis opem. libuiſſet ſaltem, ne iſta viderem
Luminibus caruiſſe meis. Sub mole trabali
Diue, laborabas. nodoſo robore truncus
Compactus gemino, nutantia terga grauabat
Pondere montano. tandem mihi verba loquenti
Sufficiunt. dudum vox interclusa reuixit.
Artifices ſcelerum, innocuum fecère nocentem?
Impietas dedit eſſe reum: rexere tribunal
Ira, malique doli, ventoſa ſuperbia; faſtus;
Liuor edax; omnis ſcelerum ſociata nefando
Conſilio, periura cohors, coiere cruenta
Sternere cæde Deum? Summi regnator olympi
Iuſſus lege mori, atque humeris ſibi ferre pudenda
Inſtrumenta necis. Solymis abeamus, & extra
O bone Diue, fugam tecum capiamus. in Vrbe hac
Armenias habitare tygres, ſæuiſque Leones,
Et quodcumque decet, dirum genus omne ferarum.
Ni tamen hanc renuant Vrbem coluiſſe nefandam.
Sæuitiem non luſtra parem. non vlla peruſtæ
Sola loca, immanem lybiæ videre Leonum
Vſque parem rabiem. viſa eſt Hircania mitis.
Non Nemeæ crudele decus, non inclitus Hydra,
Eſt lernæ memorandus honos. obliuia diſcat
Terribili arcadius tremefactus ſaltus ab apro.
Peiores nunquam narrabit fama dracones.
Inſontem damnare Deum? benefecerit vltro
Qui cunctis, humeris ſubeat ferale nocentum
Supplicium; infami ſit multa cæde latroni
Poſthabitus? regale decus, ſceptrumque coronamque
Ambierit? montis latebras, qui quærit & vmbras

Cum regnare iubent, delatis faſcibus vltro?
Quid, tu romulidùm ſolymis qui iura gubernas
Et nocuas hominum vitas, & crimina diſcis?
Anne putas nocuum? veſtigas ſedulus omne
Impoſitum vulgare nefas. tibi noſcitur inſons:
Eſſe necis cauſam nullam, vero ore fateris
Traductum inuidia; corruptis teſtibus; atro
Et liuore reum cenſes. nil proficis. ardens
Ira fremit vulgi? ſitis hæc ſopita cruore
Forte erit? innumeris concedis membra flagellis,
Sanguinei rorant lacerati fuſtibus artus?
Perſtat adhuc rabies. cinguntur tempora ſertis
Senticomis. ludicra manum deludit arundo.
Purpureo, in probrum lacero veſtitur amictu.
Ira modum neſcit. cædem ſuſpirat anhela
Non dum paſta fames. tua quid Romana poteſtas
Iudicio ſtatuet? cædem vita integra non fert,
Innocuo ſtatuas? obiectæ Cæſaris iræ
Indulgere neci ſuadent. mens fluctuat anceps,
Et pœnæ decreta labant. tua territa coniux
Noctis imaginibus; varijs tremefacta figuris
A nece te retrhait. Quantum potuère timores?
Ne cadat ille gradu, ſummo ne è culmine rerum
Ima petat, votis felix fortuna ſecundis
Ne præcludat iter. priſci vt ſeruentur honores,
Et fauor immotus maneat, nil curat iniquum
Ille nefas, rectum ne gerat. permittitur hoſtis
Arbitrio, innocui cædes. vt criminis expers
Proluit amne manus Quantum te deuius error
Per tranſuerſa rapit? non diluit vnda cruorem
Immeritæ cædis. damnant. tua verba cruentùm
Flagitium, ſed facta probant te iure nocentem.

A lin-

A lingua diſſentit opus. prætexere culpæ
Niteris in caſſum fraudis velamen. Eoa
Luce magis,mens tecta dolis manifeſta pateſcet.
Ergo minis obſtare timor,populoque roganti
Inſano clamore necem,truncumque nefandum
Neſcius, indulget ſcelerata voce petitis.
O bone diue ſubis inſanæ pondera molis,
Atque humeris imponis onus ferale nocentum,
Qui ſeruile iugum ſtudeas auferre nocentum.
Ibat anhelus,iter curuo languore capeſſens,
Arborea & ſub mole gemens.per vulnera ſanguis
Effuſus toties ; toties incuſſa flagella;
Senticomi vepres,& ſerta infixa cerebro,
Abſtulerant cunctas lacero de corpore vires.
Ille ſed huic oneri ſupponit terga libenter.
Dat vires ardor patiendi.at ſæpè caducis
Haud potis eſt ardor toties ſuccurrere membris.
Mole labant depreſſa graui.fit vulnus hiulcum
Pondere ſub tanto.ſupereſt qui corpore ſanguis
Hoc prælo compreſſus abit.per ſaxa rubeſcit,
Perque vias calcandus abit. proh! nemo labantem
Suſtinet.aut celeres auertit nemo ruinas,
Supponitque manum.arborea ſub mole gementem
Obſtupuit terrore polus.qui pondera mundi
Æqua tenet librata manu,ſub mole trabali
Deficit,atque oneri ſuccumbit pronus eundo?
Ah vereor ne tot ſcelerum magis ardua, moles
Pondere terga premat, toties congeſta nefanda
Crimina, ne potiùs talem dent prona ruinam?
Interea quid virgo parens comitata, trahentem
Vix animam natum? licuiſſet mole grauatum
Auxilio iuuiſſe ſuo.Quam terga libenter

Suppoſuiſſe cupit. nullus præuertere matris
Officium potuiſſet amor. nec rure Cirenus,
Dum ſolymas redijt, pondus ſubijſſe trabale
Inuitus cogendus erat. ſponte ipſa rogaſſet
Supponi huic oneri: nato ſuccedere matrem
Iure decet. patiar ne alios, dum viuo ſuperſtes,
Ærumnas perferre ſuas? mihi matris honores
Seque mihi dedit in ſobolem, pius ante verendam;
Dedecus ipſa feram. ſubeam ſuffecta labores
Ipſa ſuos, tribuamque parens ſolamina nato.
Indultum nil virgo tuis caſtiſſima, votis.
Hæc moles eſt iuſſa alijs portanda trabalis?
Tantum oculis ſpectanda tuis. per lumina pondus
In pectus ſibi quæret iter. proh pondera quantum
Hauſta oculis tua corda premēt. tibi fœdere iuncto, eſt
Tortor Amor, tortorque dolor. concedis amori
Quantum, tantum etiam poſcent ſibi iure dolores.
Sed qui fœmineus circumſonat æthera clamor;
Et luctu ferit aſtra dolor? furor arma miniſtrat;
Eſt pietas ſubijſſe potis? lacrymoſa gementum
Turba ſequax comitatur iter. dat fœmina fletus,
Et miſero indulget lacrymas, dum turba furentum
Sæua virum, inſontem ſuſpirat anhela cruorem.
Fœmineo quæ, diue dabis reſponſa dolori?
Quæ lacrymas bona ſigna manēt? Vos fletibus, inquit,
Parcite; neue meos caſus lugete dolentes:
Veſtra ſuper veſtros ſoluantur lumina natos:
Vertite & in ſolymam luctum. Quantam iſta ruinam
Vrbs latura venit. ſummo de culmine tota
In præceps miſeranda ruet. vaſtabitur igni.
Romuleo infelix olim data præda furori,
Et ferro infelix vaſtabitur; amne cruoris

Vnda-

Vndabunt ſuperante viæ.per compita cædes
In cumulos ſurgent. nex indiſcreta per omnes
Sanguinolenta furet. gladio iugulabitur infans,
Cæſa iuuenta cadet.crudelis mucro ſenectam
Conficiet.mollis cumulabit funera ſexus,
O vbi tunc turriti apices; faſtigia templi,
Et moles olim tanto ſudata labore,
Sacra domus veneranda Dei? pulcherrima quondam
Vrbs deſerta iacet ſqualebunt omnia luctu;
Omnia perque gemens pullatus mæror oberrat.
Sed bone diue ſinas ſolymæ deflere dolores
Te tua cura premat.magna ſub mole gementi
Ad montem tibi reſtat iter.ſudore madentes
Sanguineo,dios vultus, dia oraque cerno;
Nullus erit qui tergat amans. qui lina madenti
Sufficiat nemo?te nulla obliuia tangant
Æternùm dum ſæcla vigent;generoſa virago;
Et Berenicęi ſit facti ſama perennis.
Fæmineum ſuper omne genus, nil territa,velo
Diuinos tergis rorantes ſanguine vultus.
Nec pretio pietatis opus, roburque virile,
Emerita vel laude vacat.vult,ipſa cruentos
Tela,ſuos habeat memores de ſanguine vultus,
Qui premitur ſub mole Deus.pudor, ora rubore
Noſtra tegat turpi.teneat monumenta cruenta
Tela memor,ſeruetque pias in ſtamine vultus?
Turpiter immemori, noſtra de mente recedant?
Nullaque ſit tanti memorandi gratia facti?
Funereas didicere notas,mæſtaſque figuras
Numinis occidui,vernis in floribus vltro
Porata referre ſuis. videas in fronde flagellum
Sanguineis tinctum maculis.innoxia cuſpis

Clauorum in folijs triplex & molle rigeſcit;
Eſt locus horrenti conſertæ ex vepre coronæ,
Lancea cumque ſuo molli mucrone rubeſcit.
Hæc, monumenta ferant patientis numinis at tu
Ingratum mortale genus. neque mente reuoluas?
Et telam, & flores diſcas habuiſſe magiſtros.
Sed iam pene ſubis montis bone diue, cacumen
Crux humeris ponenda tuis ſuccedimus vltro
Huic oneri; tanto modo nos digneris honore.
Ah vereor ne lingua ſono iactantior auſit.
Langueat incumbens operi, torpore voluntas.
Degeneres nos facta probant. leuiora retardant;
Ardua tentemus. fuſum quid membra cruorem,
Suſpirent? meritis lacrymis parcamus auari?
Linguæ in nos veniat ferientis cuſpis amara?
Tela rotata iuuent? inſanæ pondera molis
Ferre cupis? minimis ſuccumbis turpiter auſis?
Parce magis linguę; factis audentior eſto.
Non deſunt quæ ferre queas. crux turpis egeſtas
Sat tua, ni renuas fuerit morboſa dolorum
Crebra ſeges membris cupidis quę plurima votis
Eueniunt aduerſa tuis. fortuna ſiniſtris
Caſibus. immerito venies laniena bonorum.

CHRISTVS CRVCI AFFIXVS.

NOS ſuprema vocat vita iam, Diue repertor
Funeris hora tui. ventū iā ad culmina mōtis
Tri-

Triſtis, vbi properanda Deo mors horrida. lympha
Caſtalides, non vos mea carmina mæſta repoſcunt,
Pinde, nec aonios tenui de fonte liquores
Ad mea vota fluant: lacrymoſi fluminis amnes,
Ex oculis mæſtum mare depluat· aſpera luctu
Funera, vix totis æquanda hæc æquoris vndis
Expleuit ſua vota furor. iam cæca libido
Sanguinis, ardentes irarum temperat æſtus.
Qua nece ſed dira veniet? qua cæde necandus?
Quoue loco? quibus & ſocijs regnator olympi,
Humanique ſator generis? turpiſſima fati
Conditio. medius latronibus occidit. actus
Altius in molem, nudatus veſte, trabalem,
Inque iugo, putrida maculato cæde, nocentum,
Innumera circum populi ſpectante corona,
Demiſſi magnique gradus. conuincia plebis
Iacta quis enumeret? contempti regis honores?
Regis & irriſum ſpinoſo è ceſpite ſertum?
Dexteræ arundineum ſceptrum regale pudendum
Ludicris traducta iocis, probriſque malignis
Prætereunda putem? Quantum natalibus olim,
Diue, tuis, longe diuerſum funus obire
Contigit; infantem quamquam fænile iacentem
Excipit: egelidis hyemis naſcaris in vmbris.
Quadrupedum par vile fouet cunabula, & ore
Bino animas tremolo geſtit perflare calentes,
Non deſunt, quæ multa tamen, ſplendoribus auctum
Natalem fecere tuum noua ſidera ſummo
Nocturno micuere polo. commercia iunxit
Tergeminus Titan rutilo fulgore coruſcans.
Cælituum pennata cohors, concentus ab aſtris.
Acciti ſplendore nouo ad cunabula reges

Mer-

Digitized by Google

Mercis odoratæ pleni, frugiſque ſabæ;
Inſuper atque auri fulgentia dona ferentes ,
Nex tua fata malis, cunctis & fata malignis
Indefeſſa probris, nulla & ſolatia tanto
Dedecori miſeranda tenet. ſpectacula pompæ
Funereæ, medium dum ſol tenet aureus axem.
Horrida mors toto pene eſt ſpectabilis orbe.
Exhibitum colle in ſummo ferale theatrum,
Annua dum redeunt ſacri ſolemnia cultus.
Tempore non alio populis magis vrbe referta
Et gemino, vt latro, ſeptus latrone necaris?
Hæc potuit ſpectare polus? non arſit olympus
Vltor in exitium, totamque à ſtirpe nefandam
Progeniem ſtygio conuulſam tradidit orco?
Quin iterum redeat pluuium de nubibus, ingens
Diluuium, & merita gentem ſuper obruat vnda?
Æthra nè fulmineos oblita es lenta furores
Vt genus inuiſum fumet lacrymabile buſtum?
Inueniat quæ fama fidem; potuiſſe nocentes
Cæde necare Deum? non olim conditus orbis
Audijt, aut ventura, nefas tale, audiet ætas,
Et genitor vindex flammis vlturus, & vnda
Iſſet in exitium gentis; prece ſupplice natus
Obſtitit, & meritas auertit mitior iras.
Interea trux pœna modum non ſuſcipit vllum,
Nec mora ſupplicio datur. ergo vbi Golgotha ventũ
Et montis ferale iugum, proſternitur ingens
In terram gemino trunco lethale feretrum,
Et trabe funeſta moles compacta bicorni,
Dedecus infandum morituro. protinus omni,
Latronum de more ſuo ſpoliatur amictu;
Probra verecundo, & dio tormenta pudori.

Ab

Ah fera gens tanti latronis diſce rapinas.
Diſcute furta ſagax. fuerint non vlla reperta
Vt tua quæ repetas, niſi crebrum vulnus hiulcum,
Et repetita diu in membris furioſa cicatrix;
Eſt tuus ille patens laniato in corpore liuor;
Perfida vibicum tua ſit laniena cruenta.
In cenſu numeranda tuo ſunt ſæua flagelli
Verbera ſenticomi ferientes tempora vepres.
Purpurei in probrum conceſſi veſtis amictus;
Ludicrum, regale decus geſtamen arundo?
Ora quid innumeris fœde conſperſa ſaliuis?
Ah pudeat, pulſata alapis narrare genarum
Ornamenta, poli & venerabile pignus olympi?
Hæc fuerint, vt veſtra, truci rapienda furori?
Iam ſuper arboream molem lectumque trabalem
Diue tuos laceros artus, & membra ſupinat
Lictorum furioſa cohors, doctique miniſtri
Non vnquam ſæuire ſatis ſtant brachia trunco,
Quanta canum potuit rabies, diſtenta ſuperno,
Tota & neruorum miſerè compage reuulſa
Par laniena pedes truncum protraxit ad imum,
Mox calybis ſæuit dolor atrox vtraque palma
Cuſpide transfoditur, clauis rimantibus artus.
Perque pedes, clauus trunco traiectus adhæret.
Inde molem attollunt erecto ſtipite, & imam
Roboris elati partem tellure refigunt.
Teque duos inter latrones, diue reponunt
Turpe coronatum ſpinoſi ceſpite ſerti.
Ergo vbi ſuſpiciunt ſuſpenſum mole trabali
Exultant clamore nouo. pars ludicra regni
Irridet decora alta ſui. pars exprobrat atque
Prona iocis, ſupplex diuinum numen adorat.

Hæc ait immenſum tibi robur quando valeſcit
Noſtra ſalus fueris.te tantis eripe pœnis.
Porrigit illa manu ſitienti pocula fellis.
Arentem hæc labris mordaci triſtat aceto.
Tu tamen interea pœnas,bone diue, tot inter
Veſanoſque iocos turbæ luſuſque procaces,
Supplice quid poſcis ſuprema voce ſupremum,
Quidue patrem moriture rogas? gens perfida vt igne
Fulminco combuſta flagret? ruat æthere ab alto
Tempeſtas pluuij maris,& genus obruat omne
Sacrilegum? abrupto tellus pandatur hiatu
Sorbeat & meritam ſobolem condatque barathro?
Sedibus è patrijs cæleſtibus aduolet ales
Funditus indignam vindex qui ſubruat vrbem?
Tale nihil bone diue rogas.prece ſupplice poſcis
Vt generi parcat. meritas vt temperet iras.
Vt ſceleri ignaro veniam concedat amicam.
In quos iſta tamen dij fax pectoris ardet?
Quos amor iſte fouet? tua quos clementia tangit?
Lictorum te cura tenet, qui membra cruentis
Diſſecuere flagris? iudex linquatur inultus,
Iudicio cauſam præceps qui dixit iniquo?
Corrupti veniam mereant mendacia teſtis?
Nam quid præter eo qui nunc conuicia iactant?
Qui caput aſſultu quatiunt? qui numen adorant.
Deriſum probris.regnum cæleſte cachinno
Traducunt vano? præbent ſitientibus hauſtus
Peſtiferos labris? medicatos felle liquores?
Ingratæ præbent & amaræ pocula myrrhæ?
Iſta ſuus poſcebat amor. dum bella cruenta
Intentant. fædus prece ſupplice poſcit amicum,
Hoſtibus & veniam miſeris,pacemque precatur
Hinc

Hinc tactos fellis potus reiecit amaros
Ne quis dulce ſuum pectus turbaret amaror?
Cernis vt ore trahens animam moriturus anhelam ?
Cumque illum maior teneat laniena dolorum,
Spondeat hic regnum latroni? donet olympo,
Qui modo ferali ſoluebat crimina trunco.
Nil clauis fixiſſe manus, gens impia prodeſt.
Muneribus dandis non eſt ſua vincta poteſtas.
Nil fixiſſe pedes.ſummi largitor olympi
Expediet nexus, greſſus dabit ire volucres.
Cur mortale genus tibi non hæc æmula virtus ?
Parcere? degeneres animas in pectore ſeruas.
Protinus vltrices inimicas ſurgis in iras.
Et ferrum Bellona parat.fax pectoris ardens
Gliſcit in exitium;nec ponit flamma furorem
Hoſtili donec veniat ſopita cruore,
Non hæc dum moritur præbet documenta magiſter,
Nec præit exemplo tali.non vltor in hoſtes
Exitium poſcit. veniam pacemque precatur
Ardet in interitum dum vis inimica leonum,
Dum ſolymùm furioſa canum vis effera fatum
Vrget, & extremas depoſcit funeris horas.
Te iocus immodicus ſi læſerit ore procaci;
Feſtiui tetigere ſales; nugacia verba?
Luminis aſpectus obliqua,aut torua tuentis;
Non vnquam pones ignoſcere neſcius,iras.
Hæc loquor. interea te extremus anhelitus vrget
Diue tuus.cara compellas voce parentem,
Inque manus animam moriens petis ire paternas.
Ingenti clamore tonas.mox vertice prono
Fata ſubis; clauditque breuis tua lumina ſomnus.
Horror hic an pietas ? naturæ voluitur ordo.

Pro-

Protinus in medio ſol deficit aureus axe,
Et tegitur nigrore polus. ſine lege perempta,
Interitu cadit orta dies. exterrita tellus
Tota tremore labat. rupes in fragmina duræ
Diſſiliunt trepidæ. mortis monumenta pateſcunt;
Reſtituant an iuſſa vt corpora mortua vitæ;
An viua vt potius condant ſcelerata ſepulcris?
Autorem natura ſuum venerata peremptum
Vertitur in luctum. tenebroſo ſyrmate cælum
Veſtitur. condit lugens ſua lumina Titan,
Indignans ſpectare nefas. fulgentia cæli
Sydera per tenebras nullo fulſere nitore,
Mæſtitia ſuperante faces & ſaxa dolore
Cordis in opprobrium noſtri diſrupta pateſcunt.
An ne neges mortale genus pia ſigna doloris?
Horrida ſaxa ſuper tua pectora dura rigeſcent.

CHRISTVS REDIVIVVS.

VIcimus. eſte procul funebria murmura cantus,
Mors tumulata iacet. lætum pæana canamus
Muſa reſurgenti. Spolijs oneratus opimis
Victor olympiacus vitæ remeauit ad auras
Morte triumphata. Quid tu mors auſa trophæis
Te toties efferre tuis? auſa inclyta, & ingens
Imperium iactare tuum? perfuſa rubore
Inſueto, fugitiua tuas te condis in vmbras,
Et latebras pudibunda ſubis. Mors improba tandem
Edidicit potuiſſe mori. Quæ vita perempta eſt

Ipſa

Ipſa ſuo mortem in regno rediuiua peremit.
Exue Phœbe notas pullati ſymatis; & quod
Subduſti, moriente, iubar, radioſque nitentes
Prome, reſurgente, eoo fulgentior ortu.
Qua meliore potes trabeata & luce renide:
Occaſu par ille tuo par extitit ortu.
Deſinit in noctem tua lux properata diurna,
Et feretro delata breui tumulatur in vndis,
Rurſus & æquoreis rediuiua reſurgit ab vndis
Mane nouo, atque redux iteratos accipit ortus.
Non ſecus emoriens experta eſt vita ſepulcrum
Numinis & celerem rediuiua reſumpſit eoum.
Tu tamen interea morituros accipis ortus;
Lumine inocciduo felix ſua vita reſurgit.
Muſa age nos etiam repetamus gaudia læti;
Sat lacrymis mortique datum, rediuiua ſepulcro
Feſtiuis animata modis ſibi carmina poſcit
Vita redux. noſtris etiam ſpes addita votis
Certa manet. felix eadem fortuna ſequetur
Certa reſurgendi, & mortem domuiſſe cruentam,
O modo conditio fati ſit criminis expers,
Et plectenda ferat non vlla piacula noxæ
Æternis decreta rogis. Cinis ille ſuperſtes
Frigidus, infuſos aliquando ſentiet ignes;
Et diſſuta diù, membris compago redibit
Diſſoluenda nece haud vlla. diffuſus in artus
Sanguis alet venas. Subito immortale valeſcet
Robur, & æternæ rediuiuo in corpore vires.
Vis alacris mentis, nulloque hebetata vapore
Corporeę fæcis, tetra vel imagine rerum.
Senſus hebes nullus. Cunctis penetrabile corpus,
Luce nitens totum pulcra, greſſuque volucri

Terra-

Terrarum immenſū ſpatijs præteruolat æquor.
Noſtra etenim non vſque teget lapis oſſa ſepulcri,
Sorde nec vſque cinis vilis putreſcet in vrna,
Sed tenebris tumuli pulſis, vmbriſque fugatis
Luce noua exorta, vitæ fulgebit eous.
Membra virore nouo pubeſcent arida, & ætas
Sit quæcumque licet, iuueniles ſurget in annos,
Quale ſolet volucris (ſi vera eſt fama) ſenectam,
In cineres collapſa, ſuam, panchæa caducam
Combuſtam poſuiſſe rogis, iterumque renaſci.
Non ſecus è buſtis hominum renouabitur ætas.
Nunc mea muſa redi rediuiui ad numinis orſa.
Corpus vbi ex animum funeſta è mole refixum
Depoſuere ſacrum, tumulique eſt facta poteſtas,
Dia & odorato ſunt illata membra liquore,
Sindonis & circum niueo velamine tecta;
Turba ſequax mæſtis hæc fletibus intulit vrnę
Diue, quid interea tua mens, dum membra ſepulcro
Marmoreo tumulata iacent? teris otia lentus,
Et pigro torpore manes? tremuere profundi
Tartarei manes. ſtygius tremefactus Auernus
Incuſſo terrore pauet. petis inuia clauſtra,
Infernaſque domos, vbi caræ pignora gentis
Tot quondam ſtant clauſa tuæ. Quæ gaudia, ruptas,
Cum ſenſere fores, pertentant pectora? votis
Hæc quantis optata dies, quantiſque querelis
Expectata venit. Quæ lux exorta repente
Impleuit ſplendore domos caligine ſeptas,
Carceris & tetro latebras horrore ſepultas?
Æterni patuere lares. ſe pandit olympus
In media tellure beans. O ſtirpis origo
Humani, que ſator generis, poſt tempora longa,
Exi-

Exilio damnata, datur tibi regna beata,
Et patrios coluiſſe lares. O grandia vatum
Nomina, iam veſtris nunc eſt data meta querelis
Veſtraq; ſucceſſus iam nunc oracula firmat.
Plurimus exultat ſtellata in veſte ſacerdos
Et ritu meliore litat. tot clara trophæis
Turba ducum, meritæ iam ſumunt præmia palmæ.
Et Reges ſua ſceptra tenent. perfuſa cruore
Infantum ſine voce phalanx, pia pignora matrum
Erepta è gremio, & legis damnata furore
Aſtra tenent. hæc primus Abel, tanta agmina ducit.
Agmina quotquot erant cæcis incluſa cauernis
Et penitis terræ latebroſi carceris vmbris
Aſpexere diem; pretium ſenſere cruoris
Numinis, effuſi. ſunt pignora reddita cælo.
Fortunate venis, tantis adiunɛte maniplis
Tu quoq; latro, comes. nuper ſuper ardua molis,
Arboreæq; trabis culmen nunc ſcandis olympi.
Sed iam tempus adeſt, iterum ſūpſiſſe cruentas
Corporis exuuias, atque artus animare ſepultos.
Ergo mane nouo poſtquam ſe pandit eoa
Tertia lux, ex quo fato conceſſerat vrnam
Intrat, & humanis animus ſe iungit amico
Corporeis nexu membris, artuſque iacentes
Euocat ad priſcas vitales luminis auras,
Eripit & clauſo ſua, viuida membra ſepulcro
In caſſum armato vigili cuſtode tuente.
Qualis erat ſpecies clauſa redeuntis ab vrna?
Oris quale decus. rutili quæ gratia vultus?
Non ſic mane nouo, noɛturnis erutus vmbris;
Promicat eous formoſa luce coruſcus,
Cum vehit ore diem, radijs ſol cultus & auro,

Quale nitent forma rediuiui Numinis ora.
Cuncta relicta iacent tumulo monumenta doloris,
Dura nec vlla necis veſtigia priſca ſuperſunt.
Vndique diffuſus dius per compita ſanguis,
Quem pauor elicuit mærenti in floribus horti;
Fluxit & irriguus qui multo verbere, quemque
Senticomi hauſerunt infixi vertice vepres;
Quem lateri cuſpis, quem diro vulnere claui,
In venas rediit vitaleſq; irrigat artus.
In radios abiere vepres. ſertumque coruſcum,
Quale ſolet ſolem, radiantia tempora cinxit.
Liuentes fugere notæ. quæ plurima membris
Ante fuit, greſſus rapuit tremefacta cicatrix
In geminos abeunt fulgentia lumina, ſoles
Quina nitent quino, ſuperant quæ vulnera, ſole
Diuinumque decus rediuiuo in corpore fulget.
O bone diue, tuæ quid dudum gaudia differs
Matris, & immeritæ ſolatia lenta reponis?
Promiſſis ſtat nixa tuis. non vlla labantem
Quamquam cura tenet, dubiæ vel mentis obortæ
Sollicitat ſua corda pauor; tamen illa recenti
Conſpectu dignanda tuo. præuertere cunctos
Addecet hanc etenim. cunctos præuertit amando.
Illa fuit pars magna tui mæſtiſſima luctus,
Et pars magna fuit tantum ſociata dolorem,
Sentiat illa prior rediuiui gaudia nati.
Ex quo ſunt etenim tua condita membra ſepulcro,
Inferiæque datæ nox eſt tranſacta dolendo;
Et lacrymis tranſacta dies. pendentis imago
E trabe funerea nati fœdata recurrit
Ante oculos obiecta ſuos; ſemperque tuendo
Vulnus alit terebrata nouum. tibi vulnera claui

Non

Non vltra patienda ferunt. ceſſere refixi
De manibus, pedibuſq;tuis. tamen altius hærent
Illius infixi cordi, pectuſque cruentant
Atque animum rimantur adhuc. tibi ferrea cuſpis
Quæ petijt mucrone latus poſt funera, vulnus
Innocuum fixit, nocua ſua pectora plaga
Figit adhuc; ſemperque nouo mucrone moleſtat.
Ergo luce noua recrees rediuiue parentem
Diue tuam. radijs mæſtas diſpelle tenebras,
Profer & ore diem. ſint nubila tetra fugata
Et vertat ſua terga dolor. des cernere matri
Turpe catenatam mortem, iuſſamque ſepulcris
Reddere clauſa diu tot corpora lucis ad auras.
Muſa quid in caſſum natum calcaribus vrges.
Ad matrem feſtinus eat! tua vota reſurgens
Iam nati præuenit amor. iam ante ora parentis
Improuiſus adeſt. oculis dat ſeque tuendum,
Quale decet ſe ferre Deum. mutatus ab illo
Quantum, qui nuper ſublimi in culmine montis
Turpiter indecori viſus ſuccumbere fato.
Dius olympiaco præfulget lumine vultus;
Arcanumque iubar totum penetrabile corpus
Illapſo ſplendore tenet. radiatus ab auro,
Quale ſolet ſolis, circumſtat tempora crinis.
Ore Deus patuit. decus immortale refulſit
Ex oculis. placidè maieſtas ora ſerenat;
Ingreſſu obſtupuit primo, radiantis & ore
Numinis, alma parens. trepidam noua gadia mentē
Improuiſa tenent. ſenſus diffuſa per omnes
Lætitia exultat. bacchatur læta voluptas,
Et pleno torrente ſubit. tanto obruta fluctu
Lætitiæ. tormenta iacent: dolor omnis abactus,

 Et

Et mœror difflatus abit. poſuere tumentes
Mœſtitiæ reſluique agitati pectoris æſtus.
Quale procelloſis concitum flutibus æquor,
Æoliiſque notis feruens, atque amne tumeſcens
Aura leuis rediit ſi flatu vecta ſecundo,
Leniter, atque erret per campos illa liquentes,
Murmura compeſcit, placidis & ſternitur vndis,
Haud aliter diuina parens dia ora tuendo
Compeſcit mœſtos agitantes corda tumultus.
Non plagis infenſa manet. non vulnera nati
Mœſta dolet ſentes non execratur iniquos,
Non irata flagris inſultat, ſerta cruenta
Nunc, non ſæua vocat. ludibria mente recedunt,
Atque oblita manent conuicia. vincla, flagella
Grata vocat: tantum hæc nato peperere triumphũ.
Ardet in amplexus; totumque obtutibus haurit
Immortale decus rediuiui corporis, ora
Nunc oculis percurrit amans. nunc pectora luſtrat;
Nunc geminas cupido perluſtrat lumine palmas;
Nuuc pedibus defixa ſuis tenet ora tuendis.
Vulnera quæ quino rutilantia cernit eoo
Sæpe oculis luſtrat. luſtratis oſcula figit.
Oubi nunc illi fremitus, populique tumultus?
Vox vbi perfidiæ toties iterata malignæ
Pendeat emerita ſuſpenſum mole trabali
Corpus iners? geminas gemino tranſuerberet ictu
Mucro manus, bini nocui ſtent cuſpide fixi
Molis ad ima pedes. dignum ludicra coronent
Serta caput. toties conuicia iacta pudenda,
Numen & irriſum, deluſum poplite regnum
Supplice. ſumma iocis cæli traducta poteſtas.
Nos ſupra regnare nefas, ſtet cæde peremptus;
Inuiſa

Inuiſi capitis, nec nominis vmbra ſuperſit.
Cerne oculis, veſana cohors, contraria votis
Vt veniunt euenta tuis: mors victa verendis
Sub pedibus calcata iacet. ſunt clauſtra refracta
Infernæque domus Ditis. ſpolia ampla reportat
Diuinæ monumenta necis, tremefactus Auernus
Illius agnoſcit Numen dominumque potentem
Voce ſuum, genibus ſupplex, inuitus adorat.
Nil mortale gerit ſpirat iam numen apertum.
Ore habituque Deus. iam mundi flectit habenas
Æternus regnator. abit quodcumque caducum,
Et ſpecies veſtris oculis ſpernenda ſuperbis.
Diuinum ſtat fronte decus lux aurea vultum
Irradiat. centum geminos de vertice ſoles
Effreni ſplendore iacit de vulnere quinos
Fulgentes quino nitido dat ſurgere eoos.
Huc cecidere doli; huc veſtræ ludibria gentis;
Turpiter illuſi toties ludibria regni;
Et chlamys & vacuum ſceptri geſtamen arundo;
Et tormenta caput ferientis dura coronæ;
Et pondus ferale crucis, clauique trabales
Nex illata Deo turpiſſima. membra ſepulcro
Condita, & ignoto deletam nomine famam;
Fata premit victor. rediuiuus regna gubernat.
Sume animos mortale genus. ſpes addita votis
Hæc eadem ſtat certa tuis. mors improba robur
Exerat omne ſuum. cuncta inſtrumenta nocendi
Ad ſua vota paret. iaculati fulminis igne
In cineres collapſa leues tua membra reſoluat,
Detque illos ſparſim rapidis ludibria ventis
Hac, illac iactos. ſpumoſis obruat vndis
Corpora. ſint pelagi neptunia præda natantum

Ingluuiemque canum ſaturent. diſcerpta per agros
Vnguibus, & roſtris, triſtis ſint eſca volucrum;
Alta ruina premat. tellus voret ima dehiſcens;
Sint depaſta focis. nuſquam, quæſita, reperta.
Irrita ſedulitas mortis. labor omnis inanis?
Iuſſa etenim, ad nutum ſobito rediuiua reſurgent
Membra ſimul ſociata: breui, diſperſa coibunt.
O veniat quocumque modo properata ſupremæ
Hora die. morti venienti pandimus vltro
Clauſtra, nec incutiunt dira inſtrumenta pauorem,
Auſpicijs modò, diue, tuis moriamur, & vrna
Innocuos properata tegat. nil fata moramur;
Sit bona conditio fati te, diue, rogamus.
Hæc dat cura metum. nam ſic data vita reſuget,
Vt ſeſe tumulo moriens conceſſit habendam.

CHRISTI IN CEOLVM ASCENSVS.

Carmina læta canam; mæſtis ne muſa querelis
Ora ſonent animata noui, nec plectra reſultēt
Flebilibus nunc tacta modis. petit aſtra reſurgens
Victor olympiacus ſpolijs indutus opimis,
Sublimiſque polo. currus inducit ouantes
Morte triumphata atque Erebo regnante ſubacto.
Lætandi quæ cauſa magis? iam curſus ad aſtra
Panditur, atque olim vetitum, nunc ſcandere cœlū
Poſſe datum. patuere fores ſtellantis olympi
Sideræque domus nobis ſunt peruia clauſtra

Exi-

Exiliat mortale,genus,iam humana propago
Ad ſuperos euectalares rediuiua triumphat
Humano iam cæpta regi ſtellantia nutu
Regna poli; imperium nec dedignatur olympus.
Vltro ambit ſeruire polus ſua iuſſa capeſſit
Cælicolum officioſa cohors, ſceptroque verendo
Subdere ſe gaudet, tanto & gratatur honori.
Sed pulſat mea corda dolor, te linquere terras
Sublimem aſpicio & reducem petere aſtra triũphos;
Te ſine, quæ maneant deſertos gaudia? ſole
Amiſſo nox atra ſubit, nos ſemita præceps,
Et cæcum nos fallet iter, ductore relictos
Teſine, ſurget atrox nos contra hoſtilis in arma
Tartareus ſine lege furor, bellator Auernus,
Cum nil te contra domitus, penituſque ſubactus
Audeat in noſtrum conuertet percitus iras,
Peniciemque caput, ſpolijs exutus opimis
In noſtras inhiat prædas; noſtriſque triumphis
Exultare cupit, cunctos huc diriget aſtus.
Nil trepidetis, ait, ſuperis de ſedibus arma
Prompta manu expediam, certum tutamen ab alto,
Et præſens, & maius erit quin cerne parentem
En tibi virgineam; me diſcedente, relictam?
Hæc tibi præſidium ſpes hæc erit altera mundi,
Digna vices tenuiſſe meas, vel nominis vmbra
Auertet ſtygias trepido terrore phalanges,
Deiectæque animis repetent ſua regna,barathrum
Infernumque chaos. vobis ſtygis vlla poteſtas,
Nec coniurata ad cędes cuncta agmina Ditis
Damna tuliſſe queunt. tenebroſæ noctis in vmbris
Sidereo fulgore præit, fugientis aſylum
Cum mala terga premunt. iactis lethalibus vmbo

Illa erit & iaculis. ſupponet lapſibus vltro
Prævalidas accita manus difflabit amico
Flamine collectas nimboſi turbinis iras.
Subſternet tumidi ſpumantia culmina ponti,
Et dabit optato incolumes ſuccedere portu.
Imperijque mei, partes geret illa ſecundas
Regnatrix ; mecum & dominandi flectet habenas.
Nos decet interea, tantum bone diue, triumphum
Carminis obſequio, pedibuſque ſequacibus, aſtra
Dum ſcandis, celebrare tuum ; quando ardua cæli
Poſt tua terga, ſequi non eſt conceſſa poteſtas.
Ergo quater deno ſe ſol patefecerat ortu,
Ex quo immortales tumulo ſibi ſumpſerat artus,
Seque ſuis dederat manifeſta luce tuendum.
Iamque aderat decreta dies cum ſcandere cælum
Eſt viſum tibi, diue redux. conuenerat omne
Montis oliuiferi ad culmen, ſociale tuorum
Agmen amans, tanti & cætus pars maxima, Virgo
Alma parens aderat. ſolito fulgore coruſcum
Os radiare magis. ſublimes frontis honores
Diuinum ſpirare decus. ſuper aſtra renidens,
Ex oculis prodire iubar. de vulnere quino
Siderea quinos præfulgere luce nitores.
Inſtar habet quantum maieſtas inclita vultus?
Quam lenis ſocialis amor ; quam dulce loquendi
Prodit ab ore melos? dictis ſolatur amicis
Victor ad ætherium mox diſceſſurus olympum,
Complexuq; ſuo dignatur. vulnera labris
Lambere dat cunctis, atque oſcula figere preſſis.
Palmas, atque pedes nexu concedit amice
Vincire, auertat tantos vt corde dolores.
Quid tu, diua parens diuelli neſcia? fletus

Quos

Quos fundis complexa pedes? qua voce moraris
Non permiſſa ſequi natum ſuper aſtra petentem?
Dura etenim qua mente feres diuortia tanta?
Quo ſenſu aſpicies abeuntem? gaudia nuper,
Retro meant, experta tibi. ſurgente reuixti,
Nũc illo ad ſuperos iterum remeante dolendũ eſt?
An veniam quæſita neges? an pompa triumphi
Tanta, tuis veniat votis, precibuſque moranda?
Non hæc, diua parens ingrata mente volutas;
Vota libens nati ſequeris, gaudeſque tuendo
Ire triumphali vectum ſuper æthera curru.
Ergo ſalutatis cunctis, iuſſiſque valere
Qua virtute valet natiua, & robore diuo
Paulatim ſeſe ſuperas attollit ad auras;
Sæpe ſua ad ſocios flectens, caramque parentem
Lumina; ſæpe iterans obtutu pignus amoris.
Quale ſolet volucris, cum ſe ſublimis in altum
Tollit. & implumes nido, ſua pignora, natos
Linquit, ſæpe oculos deflectere, ſæpe relictam
Prædatura breui, ſobolem ſeruare tuendo:
Non ſecus ille ſuos cuſtodi lumine ſeruat.
Sed deſerta magis vadentem turba ſequaci
Lumine proſequitur. donec ſe nubis amictu
Condidit, atque oculis cupidis ſolatia texit.
Cumq; oculos nequeant. poſt, corda ſequacia mittũt.
Ille triumphali ſubuectus nube curuli
Interea celerabat iter, cælumque petebat
Victor ouans; lethi domitor, phlegetonte ſubacto.
Roma, tuos olim victrix cenſere triumphos
Deſine victa ſuos ſummittat Gloria faſces.
Cæſareos, pudeat famam, memorare triumphos;
Et pompeianis lethea obliuia dentur.

Illis vnde decus, famæque inſignis honores?
Quod domiti reges? populi ſub iura coacti
Romanum ſubiere iugum? quod viribus Vrbes
Innumeræ iacuere ſolo? Quod diſſita regna
Romulea ſub lege vigent? quod Parthus, & Indus
Impoſitum pendat fracta ceruice tributum?
Deuictus quod ſeruit Arabs? quod Græcia mendax
Fracta ſuos armis illuſos ſenſerit aſtus
Candidiuſque loqui didicit romana ſub arma?
Æmula Carthago faſtu deiecta ſuperbo,
Diruta quod meritas olim ſit paſſa ruinas,
Et vectigales dederit turpiſſima gentes?
Adde decus pompæ, & parti decora alta triumphi,
Victoris poſt bella ducis. redeuntis ad Vrbem?
Progreditur læto victori milite cinctus;
Sæpe catenatos reges poſt terga ſequaces
Ferre ſuperbus amat. deuictas proferet Vrbes,
Regnaque picta manu. ſpoliorum pompa tuendæ
Ante oculos obiecta patet. Quid tygres ouantes,
Sæuitia poſita, & currus portare leones?
Cerne etiam effuſam innumeram de mænibus Vrbis
Gentē, auidam ſpectare Ducem: clamore reſultant
Compita feſtiuo. reſponſant gaudia colles.
Hæccine commemoras vanæ ludibria pompæ?
Nec pudet in cenſum tales numerare triumphos?
Quot periere duces. quanto ſtat milite cæſo
Palma? quot in campo certarunt agmina? quantæ
Alæ equitum ſtratæ? quoties reparare phalanges
Deletas, male fauſta nimis fortuna coëgit?
Confer nunc huius diſcrimina magna triumphi:
Confer & exuuias reducis, gentemque ſubactam.
Seruitio exemptos populos; aſſerta, tyranno

Regna diu dominata truci? quin robora dextræ
Vnius perpende ducis? pugnator inermis,
Agmine non vllo, non vllo milite fultus,
Tartareum nutu totum tremefecerit orcum?
Victor & innumera prædâ ſpoliarit Auernum?
Ipſius ad vocem morientis territus orbis
Expauit, timuitque ſonos. ſol traxit habenas.
Et retro terrore fugax, ſe condidit: omnis
Terra, metu validos trepidans dedit acta tremores.
In tumulos gelidus pauor irruit. ipſa carentum
Luce diu, tremefacta dedit mors corpora luci.
Quid? cum telluris cæcum penetrale ſubiuit,
Infernumque Chaos? Crucis ariete clauſtra profundi,
Et clauſas adamante fores, poſteſque ſeraſque.
Fregit, & auulſo reſerauit cardine portas.
Hæc potuit moriens. rediuiuus victor ad auras
Quale triumphales agitabit ad æthera currus?
Ille quibus ſpoliis cælum remeabit onuſtus?
Quanta illum captiua ſequax comitatur euntem
Turba, erepta imis tenebroſi carceris vmbris,
Et longo reuocata chao? tot flatibus icta
In terram non ſparſa cadunt furialibus auſtri
Arboribus folia Autumni ſub tempora quantæ
Quotque animæ volucres reducem comitãtur eũtes.
Præda hilaris, captiua cohors, ſed læta triumphis
Ante omnes, primæue parens, tanta agmina ducis;
Stirpis origo tuæ quondam princeſque ruinæ,
Et damni fatale caput. nunc ductor ad aſtra
Munere diuino tam cari pignoris ortæ
Et nece, quod potuit tantas reparare ruinas.
Iſacidum de gente ſatum genus omne redeptum
It poſt terga ſequax. & vos decora inclita belli,

No-

Illis vnde decus, famæque inſignis honores?
Quod domiti reges? populi ſub iura coacti
Romanum ſubiere iugum? quod viribus Vrbes
Innumeræ iacuere ſolo? Quod diſſita regna
Romulea ſub lege vigent? quod Parthus, & Indus
Impoſitum pendat fracta ceruice tributum?
Deuictus quod ſeruit Arabs? quod Græcia mendax
Fracta ſuos armis illuſos ſenſerit aſtus
Candidiuſque loqui didicit romana ſub arma?
Æmula Carthago faſtu deiecta ſuperbo,
Diruta quod meritas olim ſit paſſa ruinas,
Et vectigales dederit turpiſſima gentes?
Adde decus pompæ, & parti decora alta triumphi,
Victoris poſt bella ducis. redeuntis ad Vrbem?
Progreditur læto victori milite cinctus;
Sæpe catenatos reges poſt terga ſequaces
Ferre ſuperbus amat. deuictas proferet Vrbes,
Regnaque picta manu. ſpoliorum pompa tuendæ
Ante oculos obiecta patet. Quid tygres ouantes,
Sæuitia poſita, & currus portare leones?
Cerne etiam effuſam innumeram de mænibus Vrbis
Gentē, auidam ſpectare Ducem: clamore reſultant
Compita feſtiuo. reſponſant gaudia colles.
Hæccine commemoras vanæ ludibria pompæ?
Nec pudet in cenſum tales numerare triumphos?
Quot periere duces. quanto ſtat milite cæſo
Palma? quot in campo certarunt agmina? quantæ
Alæ equitum ſtratæ? quoties reparare phalanges
Deletas, male fauſta nimis fortuna coëgit?
Confer nunc huius diſcrimina magna triumphi:
Confer & exuuias reducis, gentemque ſubactam.
Seruitio exemptos populos; aſſerta, tyranno

Re-

Regna diu dominata truci? quin robora dextræ
Vnius perpende ducis? pugnator inermis,
Agmine non vllo, non vllo milite fultus,
Tartareum nutu totum tremefecerit orcum?
Victor & innumera prædà ſpoliarit Auernum?
Ipſius ad vocem morientis territus orbis
Expauit, timuitque ſonos. ſol traxit habenas.
Et retro terrore fugax, ſe condidit: omnis
Terra, metu validos trepidans dedit acta tremores.
In tumulos gelidus pauor irruit. ipſa carentum
Luce diu, tremefacta dedit mors corpora luci.
Quid? cum telluris cæcum penetrale ſubiuit,
Infernumque Chaos? Crucis ariete clauſtra profundi,
Et clauſas adamante fores, poſteſque ſeraſque.
Fregit, & auulſo reſerauit cardine portas.
Hæc potuit moriens. rediuiuus victor ad auras
Quale triumphales agitabit ad æthera currus?
Ille quibus ſpolijs cælum remeabit onuſtus?
Quanta illum captiua ſequax comitatur euntem
Turba, erepta imis tenebroſi carceris vmbris,
Et longo reuocata chao? tot flatibus icta
In terram non ſparſa cadunt furialibus auſtri
Arboribus folia Autumni ſub tempora quantæ
Quotque animæ volucres reducem comitãtur eũtes.
Præda hilaris, captiua cohors, ſed læta triumphis
Ante omnes, primæue parens, tanta agmina ducis;
Stirpis origo tuæ quondam princeſque ruinæ,
Et damni fatale caput. nunc ductor ad aſtra
Munere diuino tam cari pignoris orta
Et nece, quod potuit tantas reparare ruinas.
Iſacidum de gente ſatum genus omne redeptum
It poſt terga ſequax: & vos decora inclita belli,

No-

Nomina clara Ducum reducem ſociatis ouantem.
Inſignes virtute viri, caſtęque puellæ,
Et queis ſanguineas tribuerunt robara palmas,
Et quos relligio, & cultus fecere verendos,
Ad ſuperos ſubuecta cohors auxere triumphum.
Nam quid prætereo cœlo delapſa ſupremo
Et regem venerata ſuum, dominumque potentem
Effuſæ innumeræ cæleſti ex orbe phalanges,
Aligerumque chori, nouies quos cenſet olympus.
Ordine diſcretos, venientem voce ſalutant,
Et lætum pæana canunt. pars ære canoro
Dat grandem feſtiua ſonum, & vocale metallum
Perſonat innumerum, neruos pars illa loquaces
Irritat digitis, numeriſque fugacibus vrget.
Tacta peregrino reſpondent nablia pulſu.
Dant citharæ ſociale melos. certamina vocum
Æmula ſunt lituis. vix tactum pollice lento
Muſſat ebur; miſcentque lyræ noua prælia cantus.
Ad fatale Crucis pars altera verſa trophæum,
Prona veneratur. geminat præconia laudis.
Hæc erebi domitrix; hæc tartara ſæua ſubegit.
Hæc erit vſque trucis formido, ac terror Auerni;
Semper & infuſtam tremefactus ſentiet orcus.
Hanc regnatricem, dominamque verebitur orbis,
Sit licet inuitus. ſceptrum Crux vna tenebit,
Cunctaque in hanc dominā dominantia regna coibūt.
Hoc extrema dies ſigno terrebit iniquos
In cœlum elato, horribili fulgore coruſco;
E meritoque rogo, & ſtygio damnabit auerno
Et placidè innocuos ſummo tranſcribet Olympo.
Has inter voces plaudentum, & læta canentum,
Ibat ouans nitida ſubuectus nube curuli,

Mille

Mille ſuis variat quam picta coloribus Iris.
Optauit quam ſæpe ſuos ad lora iugales
Iungere Phœbus equos, tanto dignatus honore
Ille ſuo vt curru ſpolijs portaret ouantem,
Et decus æternis ſignaret Gloria faſtis.
Inque rotas lunare iubar curuaſſet amicum
Æmula luna ſuum. in radios abijſſe rotarum
Sidera gauderent, longo & temone trahendos.
Tale decus memores vt fama referret in annos.
Interea cunctis penetratis orbibus, orbem
Stat prope, quo omnipotens cæleſti luce tuendum
Vſque ſuis ſe præbet; præbet amore fruendum.
Tunc amplæ patuere fores, & regia cęli
Mirificum præpandit iter, poſteſque refringit
Altius, ingentem reducis captura triumphum.
Miratur ſpolia ampla ducis, miratur & ingens
Robur. ſuſpenſo proſpectat lumine cætus
Cælicolum cunctus tanti decora alta trophæi,
Et muſſant tacito ore ſimul quęruntque, rogantque,
Iſte quis è terris ſpolijs oneratus opimis
Qui potuit ditare polum? radiatus eois
Vulneribus victor noſtrum qui aſcendit olympum,
Innumeraſque ſuo portat de funere palmas?
Nuper ad ima ſoli. cæcum terræque profundum
Nunc ſuper aſtra micās? modo tēpora ceſpite ſeptus
Senticomo frontem nunc Phœbi, luce coruſcus.
Hanc lucis trabeam, hunc fulgentis ſolis amictum
Illa clamys probroſa tulit? ſocialis arundo,
Illuſę modo ſceptra munus. geſtamen honorum.
Et ſceptrum immortale dedit, ſoliumque verēdum?
Nuper in excelſo probroſi ſtipitis, & mox
Dexterior genitori, æternas flectet habenas

At-

Arduus, inque throno victor moderabitur orbem?
Vt ſtupor attonitos liquit; noua gaudia miſcent,
Atque nouos iterant cantus, plauſuſque canoros
Cælicolæ, & celebrant iterata voce triumphum,
Vndique feſtiuis reſonant concentibus aſtra,
Excepit donec genitoris dextra ſedentem.
Quid trepidas mortale genus? dum ſcandit Olympũ
Te quoque; ni deſes pigro teneare veterno,
Scandere poſſe, docet. tibi ne tua robora deſint,
Robur, & ipſe dabit. retinacula deſere, quæ te
Sponte tua religata tenent, tardantque volentem.
Obijcibus perrumpe vias. quæ pondere iniquo
Corda grauant, mentemque imis affigere tentant
Excute, vim patiens. vitiorum vincla reſolue.
Hæc inimica tenent animum, curſumque morantur,
Ne ad votum ſublimis eat mens ardua, tantum
An te fluxa hominum rapiat, capiatq; voluptas
Vt non vlla memor cęli ſit cura ſuperſtes?
Summus, an in caſſum tibi ſit patefactus Olympus
Ne tanti ad ſuperos numereris præda triumphi?
O qui; diue, ſubis ſtellantis culmen olympi,
Et cælum regnator adis, bonus indere mentem
Ne nobis ceſſes meliorem. ſuffice lumen
Quod rectum prępandat iter. per deuia greſſus
Corripe. da lapſus, clemens, vitare nocentes:
Da celeres tua terga ſequi, tu porrige dextram
Inualidis tecumque olim nos tolle per auras,
Vt tua pars, quamquam, numeremur, parua triũphi

SPI-

SPIRITVS SANCTVS DE COELO MISSVS.

Firma hominum quam rara fides; fiducia dictis
Quam fallax cęptis quoties ſpes irrita votis?
Promiſſa in ventos quoties abiere fugaces;
Concordi ſteterunt nec fędere pectus & ora?
Quam ſæpe immerorem ſubeunt obliuia mentem?
Ingratum quam ſępe nefas malè damnat amicos?
Quos tenuis fortuna tenet, promiſſa libenter
Ore dabunt facili. dabitur ſi culmen honorum
Scandere, ſublimeſque gradus, & magna potentum
Iura tenere, illis ignotum nomen amici
Priſci erit ac tumido deflectent lumina faſtu.
Creſcit honor, decreſcit amor: maiorque poteſtas
Edidicit prodeſſe minus. cumulantur opimæ
Diuitiæ, fit dextra tenax, magis ardor auarus.
Pone metum gens lecta Deo. fiducia dictis
Veridicis ſtat nixa ſuis, nec lubrica fallunt
Diuinam promiſſa fidem. rata cuncta ſequuntur,
Vlla nec optato euentu caruere ſecundo.
Illius non vlla tenent obliuia mentem;
Non animum mutat venerabile culmen honorum.
Morte triumphata, victor ſubiturus olympum
Humanæ vindex ſobolis; bellator Auerni,
Atque erebi domitor; ſocijs ſolatia mæſtis
Vt daret, & tantum poſſet lenire dolorem
Diſcedens. trepidis pauido terrore relictis

Hæc

Hęc promiſſa dedit. nihil ò mea turba ſuperſtes
Sollicitet pia corda pauor. nil mæror obumbret.
State animis, alacres generoſo & pectoris auſo
Me ſine neue malis ſuccumbite. deſuper ipſe
Vſque adero præſens, ſuffectis viribus vltro,
Magna pati intrepidos. magnos perferre labores
Ipſe dabo. contra coëant in fœdera reges;
Arma furor popularis agat. coniuret Auernus
Perniciem in veſtram. furialibus irruat armis.
Nulla aduerſa prement. terrebunt nulla pericla.
Obſiſtet veſtris non vlla audacia captis.
Arma per, & medios gaudentes ibitis hoſtes.
Contemptus quicumque ferox fremet ore tyrannus.
Ore truci ſpretam ſe mors lacrymoſa dolebit.
Euenient poſt iſta tamen. quam victor olympum
Ingrediar; patriſque redux dia ora ſubibo,
Complexuque fruar tanto, dextramque tenebo.
Tunc etenim Genitor clemens, mea vota ſecundãs,
Obſequiiſque meis flexus, demittet ab alto.
Igne potens valido, ſpirabile Numen amoris.
Numen idem quamquam non edita mentis imago,
Mutua ſed fax pectoris; expirata profundi
Arcani ex cordis penetralibus. igneus ardor.
Nexus amans. nati ac patris commune ligamen;
Æternumque inter ſpirabile fœdus amoris.
Hinc vobis ad cuncta recens. infracta poteſtas
Viribus & veniet nullis ſuperabile robur.
Hæc promiſſa dedit; cœlo ſeque intulit alto.
Interea veluti puppis ſpoliata magiſtro.
Et medio deprenſa ſalo, pia turba relicta
Fluctuat, ancipites inter correpta timores,
Vndarumque metus, quamuis ſpes pectora firmet.

Par-

Parua phalanx ductoris egens ſouet anxia curas;
Seque efferre palam trepidat. conclaue repoſtum,
Cœnæ olim ſacræ ſedem, menſæq; ſupremæ,
Amiſſo ductore ſubit, latebramque ſalubrem.
Hic concluſa cohors prece ſupplice munus olympi
Indefeſſa petit promiſſos ætheris ignes
Et lacrymis, & voce rogat. non vlla precando
Hora vacat. cuncti concordi pectore, & ore
Ad ſuperos reducem votis precibuſque fatigant,
Stet concepta fides, promiſſaque robora conſtent.
Iam denos Aurora nouos eduxerat ortus
Et totidem nox atra dies tumulauerat vmbris,
Ex quo, victor ouans ſuperos conſcenderat orbes,
Cum delapſa polo, magnoque animata fragore
Flamina ventorum, & furioſæ ſpiritus auræ
Inſonuit ſubitus venientis turbinis inſtar
Innocuo ſonitu; inſontique fragore frementis,
Peruaſitque omnes collectis flatibus ædes
Impleuitque domum totam. tremuere ſonoro
Flamine fundamenta domus. mox ignea flamma
Plurima, diſſectis, rutiloque nitore coruſcis
Emicuit linguis; diſcretoque ordine, cunctorum
Inſedit volucris capita, & ſuper aſtitit ardens.
Te quoque dia parens, tanti pars maxima cętus,
Inque Ducem ſuffecta, euecto ad ſidera nato
Igne ſuo afflauit demiſſus ab æthere fulgor.
Sed quæ inſueta facum miracula viſa repente?
Et noua quæ verſa eſt rerum facies? timor omnis
Exul abit profugus. trepidentia pectora priſco
Cuncta ſoluta metu. redeunt in corpora vires.
In membris micat igneus ardor. nubilus horror
Triſtitiæ, de fronte fugax, vultuque, ſerenam

Dat ſubiiſſe diem, lætumq; per ora nitorem.
Quale poli faciem, cum nubila nigra coruſcam
Importuna tegunt, caligine noctis oborta,
Forte aquilo inſurgat ſi flatibus, illa repente
Diſcuſſis nebulis læto fulgore renidet;
Haud aliter trepidis, triſti & mærore ſepultis
Horror abit ſubito, ventorum flamine pulſus.
Flamma ſuper volitat diſcretis ordine linguis,
Inſeditque caput diuino feruet ab æſtu
Pectus; & arcanis incendia diua medullis
Bacchantur; moremque ſupra furit igneus ardor
Intus, perque oculos incendia diua pateſcunt.
Ora faces iaciunt. flammantia verba loquuntur.
Et iam conceptus, non ſe capit igneus ardor.
Flammea vis gliſcens clauſtra indignata repoſta
Eruptura foras, magno molimine flammas
Exerit obicibus ruptis. ſic flamma camino
Ingens clauſa breui aut breuibus fornacibus arcta
Carceris impatiens, obſtacula cuncta refringit.
Ergo afflata phalanx ardenti Numine, & igne
Hoc dio cumulata nouo, velut enthea turba
Erumpit portis. totam bacchata per vrbem
Excuſſo terrore, minax, ſecura pericli
Per ſolymam graditur. rediuiui Numinis orſa
Perſpicuis teſtata notis, mortemque ſubactam
Impauido ore canit. Regnantem nuper ad aſtra
Aſcendiſſe docet, venturum deſuper olim,
Atque hominum vitas nullo diſcrimine cunctas
Iudicio librare monet. Quid cætera flammis
Quæ ſubito demiſſus Amor dona inclita miris
Diuus habenda dedit, dignis ego verſibus æquem?
Turba rudis; gens ſueta ſalum ſulcare carina;

Li-

Litoreas coluiſſe plagas, per cærula piſces
Vel captare hamo, vel fallere retibus; vlla
Non ope diſcendi, non vlla Palladis arte,
Tempore non vllo ſtudijs exculta Minerua
Abdita tam ſubito diuina arcana reuoluit
Atque aperit ſecreta poli. ſacra omnia Vatum
Priſca oracla refert. indigna cæde peremptum
Eſſe Deum ſacris euincit teſtibus. illum
Morte triumphata rediuiuum lucis ad auras
Sponte ſua reducem, infracto rediſſe ſepulcro.
Quid referam cunctos vario ſermone loquutos;
Ac ſubito edoctos ignotæ munera linguæ?
Audit Arabs, audit Græcus pia verba loquentum.
Quis quis adeſt, ſolymam peregrinis vectus ab oris
Attonitus ſtupuit patrio ſermone profatos,
Callenteſque ſuam non vllo crimine linguam.
Cerne animi robur generoſi, & pectoris auſa?
Fœmineo nuper famulæ qui territus ore,
Se nouiſſe negat temerato iure Magiſtrum,
Terque nefas teſtatur idem periurus, & audet
Promiſſam violare fidem. qui tectus ab vmbris
Turpe fugax ſua terga dedit, vinctumque catenis
Deſeruit trepidus, ſeruans veſtigia retro,
Egregius poſt bella comes! defenſor amicus
Dum decuit conferre manus? nec cætera turba
Diſſimilem ſeruare modum. fugitiua pauore
Abdere ſe tenebris, & quærere cauta latebras.
Quam diuerſa vides, nunc poſtquam flaminis aura
Cælitis, irrupit ſacros violenta penates
Compleuitque domum? poſtquam exarſere coruſcæ
Nunc duodena ſuper flammæ capita alta ſedentes
Linguarum in morem. præconum congrua dona;

Congrua diuini mittentis munera Verbi.
Illud enim vocale decus, mentiſque paterna
Lingua arcana, & vox cælo edita cuncta tuendo.
Omnia diſſlantur trepidantis ſigna pauoris
Diſcuſſoque metu media ſe ſe Vrbe videndos
Luce palam dederunt, nil impia iuſſa potentum;
Incuſſas non ore minas; non ſæua furoris
Iuſtrumenta timent. Fidei documenta per omnes
Dia ferunt populos. nullo terrore vagantur
Regna per, & gentes. ipſos læto ore tyrannos
Impauidi ſubeunt. rediuiui Numinis orſa,
Et partum celebrant victa de morte triumphum.
Immortale decus tollunt. ſuper aſtra potitum
Imperio, dioque ſuo regere omnia nutu.
In ſcelus omne minas acuunt, vitiſque minaces
Indefeſſa gerunt bella. adnixi, ore magiſtro
Rectum iter ad ſuperos monſtrant, prauoſq; viarum,
Obliquoſque monent calles vitare nocentùm.
Edita quid memorem, ex illo, portenta? fugaces
Corporibus morbos! greſſum tenuere caduci.
Præteriens vel ſola ægris dedit vmbra ſalutem.
Vana ſupeſtitio multos dominata per annos,
Atque orbem regnata diu, licet inuia fines,
Abditaque extremas mundi penetraueris oras
Inuenere ſonis iſtis implentibus orbem?
Montibus in caſſum fugiens te texeris altis?
Munieris fruſtra ſaxoſis alpibus, vltra
Caucaſeumq; iugum. immenſum maris æquor arandū
Atque vllo ſine fine ſalum interieceris? vndas
Quas non vlla ratis tentarit flatibus, vllo
Remigio, aut velis inflatis viderit vllis.
In caſſum labor omnis erit. licet horrida brumis,

Et loca quæſieris glacie concreta niuali,
Fœtaque perpetuis niuibus. licet æſtibus vſta
Regna penetraris, ſemperque ardentia flammis,
Ad te curſus erit, latebra inueniere repoſta;
Indecorique fuga meritum pelleris ad orcum.
Nec tibi profuerit quòd pectora barbara regnes,
Et genus indocile. & non vlla in fœdera linguæ
Externâ cum gente abiens; commercia vocum
Nulla tenens licet, aut ſocialia verba loquentûm;
Cuncta ruet generoſa phalanx. Obſtabit eunti
Per ſalebroſa nihil. rapidis pernicior euris,
Deſuper illapſo cæleſti flamine vecta
Ibit ouans. montes, & flumina, Nerea magnum
Peruadet. flammis ardentibus aucta ſupernis
Quodque obſtans perrumpet iter. ſuperabit eundo.
Impete quale furens glomerato puluere turbo,
Obiectum quodcumque patens proſternit ad ima,
Et latum ſibi pandit iter. vel qualis in altum,
Ingentem ſyluam populatrix flamma, furenti
Aucta noto, ſi forte furit, cuncta obuia vaſtat,
Non ſecus hoc flamen diuinum, atque igneus ardor,
Igne triumphali quęcumque obiecta repellet.
Dia fides, iam tolle caput, iam cerne triumphos,
Quamquam cæca tuos. illis vix ignea linguis
Dona data, & iam flammeus ardor ſerpit eundo,
Et ſubdit noua regna polo. diſcreta per orbem
Hæc ignita phalanx. quantis erit aucta triumphis,
Et ſpolijs onerata pijs. Bytinus olympo
Sub iuga colla dabit. Cilices ſeruire propinqui
Optabunt. fidei cæleſtia iuſſa capeſſent
Cappadoces. iuſſis ſtabunt fera pectora thracum,
Seque furor ſcythicus ſubdet. ſeruire libenter

Nec Galatæ renuent. Ægyptus vocibus aures
Obſequioſa dabit, nullo turbata fragore
Præcipiti vndarum magno, ſtrepituq; ruentum.
Et te, Nile, ſacro ſuccendet flamma, calore
Igniti eloquij. ſolem coluiſſe pudebit
Perſarum gentem cultus dediſcet auitos
Et pia thura Deo flammis melioribus vret.
Nec vos Armenij caruiſtis flamine tanto,
Et facibus cœlo lapſis peruaſit ad oram
Veſtram etiam generoſa phalanx, & fœdere iuncto
Accendit vos flamma poli, ſacra vnda piauit.
Tranſit ad illyrios vſſit Garamantas, & indos;
Aſſlauitque Phryges. Parthis ſeſe intulit ardor.
Corripuit Medos. Græcis incendia vexit.
Arſit Arabs. Afros cæleſtis flamma peruſſit.
Indefeſſa migrat, qua ſol ſe pandit eous;
Quà cadit occiduus; medium quà vergit ad auſtrum;
Qua piger hibernis borealibus alget in oris.
Nec te deſeruit; ſuper omnes, inclyta tellus
Itala, cara polo. romanas tendit ad arces;
Et mundi dominam, fatis melioribus vrbem
Afflauit ſuper omne genus, princepſq; ſenatus
Petrus agit flammas. illius munere Roma
Nunc regis imperio populos, ſacraque tiara, &
Relligione potens, totum dominaris in orbem,
Et ſacra iura tenes. totus tibi ſupplicat orbis,
Relli io quem vera tenet. ſceptrumque veretur
Quique patere fores ſibi nunc depoſcit olympi
Et cupit afflari cæleſti Numinis igne.
Diue potens flammis, & ſtabile Numen amoris,
Nos etiam tua cura ſumus, gens indiga dij
Muneris atque tui. vario quo munere polles

Pe-

Pectora noſtra reple. diuino flamine, mentis
Nubila diſcutias. durum cadat igne ſolutum
Cordis, & omne gelu. venias ſolamen amicum
Dum nos mæror habet, dum curis angimur ægris.
Inualidis robur, feſſis concede quietem.
Vſque adſis præſens ſtygio tutamen ab hoſte.
Diſcute torporem mentis, pigrumque veternum.
Ad virtutis iter preſſis calcaribus vrge.
Præſidijs vt diue tuis ſiſtamur olympo.

VIRGO IN COELVM ASSVMPTA.

OBſequij, mea muſa, tuis nunc, Virgo, laborat
Teq;iter ad ſuperos tendentẽ,atq;aſtra petentẽ
Carmine proſequitur. tanta ſub mole gementem
Præſidijs attolle tuis, vireſque canenti
Suffice diua parens,etenim potes vna labantem
Ad laudes pia Virgo tuas fulcire camænam,
Conantemque tuum numeris æquare triumphum.
Vnde mihi tamen orſa prius naſcantur, & vnde
Prima ſibi ſumat noſtrum molimina carmen
Diſtrhaor ancipiti cura, gratemur honori
Emerito Regina tuo, decorumque trophæis;
An querar aligero quod dum petis æthera curru
Linquimur, & nobis dij ſolatia vultus
Diſceſſu ſunt rapta tuo? ſuper eſſe leuamen,
Victor ouans poſtquam natus penetrauit olympum,
Hoc potuit nobis. ipſo hoc viduamur, euute

Te ſuper aſtra poli. noſtris tu ſoſpes aſylum,
Perfugiumque malis. in te ſpes vna labantis
Nixa ſalutis erat. meritas tu Numinis iras,
Auertiſſe potis clemens, & flectere ſupplex,
In ſcelus armatum diuinum, diua furorem.
Solue metum gens lecta Deo. ſuper æthera vecta
Præſidium tibi maius erit. ſit diſſita longe;
Numine erit præſens; præſens tutamen ab hoſte
Vſque erit; atq;ope te nunquam fraudabit amica
Diua parens, memoremq; magis ſeruabit amorem,
Tu modo ſis memor & fiducia conſtet amanti.
Me quoque ſpes eadem, (nec me fiducia fallit)
O pia Virgo, fouet, dum nunc tibi carmina pango:
(Obſequium geniale mei, paruumque tributum)
Ingenij tenuis, nec par tibi munus amanti.
Nempe datur ſi nunc tecum non ſcandere cœlum,
At mihi dum lethi illetabilis ingruet horror
Ad ſis ò bona Diua fauens. concede petenti
Robur in incurſus erebi, ſtygioſque furores;
Tempore in ancipiti nutantia pectora firma.
Fallaces auerte dolos. da noſcere noxas;
Et notas tribuas lacrymoſo rore piandas;
Tandem tende manum, & tecum me ſubuehe cœlo.
Interea cæpti nos carminis orſa ſequamur,
Et magnæ matri meritos ſoluamus honores.
Natus olympiacis poſtquam ſe ſe intulit aſtris
Victor, & innumeris ſpolijs ditauit olympum,
Morte triumphata, atque erebo ſub vincla coacto;
Ne gemino tellus careat viduata magiſtro
Iuſſa eſt dia parens terras habitare regendas;
Et teneram fidei ſobolem, gentemque relictam
Præſidijs firmare ſuis, præbere ſalubres

Ad vitam monitus. cæleſtia ſemina iacta
Sole ſouere ſuo, cultuque iuuare magiſtro.
Hæc vt Virgo parens multos operata per annos.
Præſtitit, optati non vltra gaudia nati
Dilatura, rogat fato concedere, lentas
Nec dum ferre moras. vrit nam cura tuendæ
Iamdudum caræ ſobolis. promiſſa repoſcit,
Atque ratam cupit eſſe fidem. mene amplius vltra
Aſpectu caruiſſe tuo, nec dulce loquentis
Optato ſermone frui? ſat tempore longo
Complexu diuulſa tuo iam demoror, ægram
Et vitam duco. mihi lux ſine luce refulget.
Eſt ætas matura polo; iam vergit in annos
Nunc ſenio confecta graues. producere tempus
Vlterius, mihi durum. ni tua certa voluntas
Obſiſtat voto, & matri indulgere recuſet.
In me nate, tuo nimio quod pugnat amori,
Et talem in me de te. dedecet eſſe timorem.
Munere namque tuo Mater iam Numinis, orbem
Per totum dicor, cæli & regina ſalutor.
Non ſitiens ſic cerua cupit, dum ſaucia telo eſt,
Flumineos latices, gelido aut de fonte liquores,
Quale cupit diuina parens ſe corpore ſolui;
Igne flagrans dio, & natum complexibus arctis
Vrgere, & dios vultus haurire tuendo.
Audiit hæc natus, mortemque accedere iuſſam
Alloquitur trepidam, rigido, & ſic ore profatur.
Mortem orat genitrix mea. fatum auertere iure
Debueram, neque enim fati ſub lege parentem
Eſſe meam decuit. primæuæ crimina labis
Nulla tulit; nullo colubri polluta veneno
Orſa ſatus habuit. ſtygio ſeruire tyranno

Re-

Reginam, dominamq; nefas caput illa Draconis
Præſidijs munita meis, in limine vitæ
Contriuit primo, nec auito ex ſanguine gentis
Detrimenta tulit. generis cum ſanguine nulla
In natam transfuſa lues. candore niuali
Purior enituit. radijs Aurora coruſcis
Non ſic mane micat. non vllo fomite, vires
Subiectæ caluere malo. flos integer extat
Germine quamquam omnis radix vitiata parentũ eſt.
Sed quoniam immeritæ fati ſe ſubdere legi
Vltro amat, atq; meam immunis, cupit æmula ſortem,
Sponte ſequi, illius cupidis me flectere votis
Nil renuo, & tantæ ſolatia ferre parenti;
Illam adeas. ſed pone truces, mitiſſima vultus
Exul eat quicumq; rigor. procul omnis abeſto
Vſque tuo ſueta inclementia ſæua furori.
Non fœdet pallor malas, non nubilus horror
Ora tegat. gelidus ſudor, ſuccuſſus anhelus
Aufugiant trepidi, compreſſi gutturis angor,
Difficiliſque auræ inualido labor ore trahendæ
Nil auſi ſe inferre toro. morientis in ore
Frons eadem tranquilla, eadem ſtet gratia vultus.
Floſque genis idem. radiorum fulgor ocellis
Irradians idem. totum dediſce furorem.
Somnus vt irriguus, puris illabere membris;
Et tranquilla quies morientes occupet artus.
Audit, & imperio tanto tremefacta minaci,
Deſerit ore minas. lenit mitiſſima vultum,
Atque operi placidam ſe mors accingit habendam.
Interea, dum diua parens moritura recumbit,
Beſſenum pia turba patrum circumſtat, in omne
Obſequium prona, & tantæ ſtudioſa parenti

Supplicat, & crebris precibus; lacrymiſque fatigat
Ne velit orbatam pia mater, neue potenti
Auxilio caram ſobolem, tantaque magiſtra
Immeritam ſpoliet. trepidam munimine tanto
Ne exuat; obiectam, & ſubitis ſinat eſſe periclis.
Nūc firmanda Fides magis eſt. nunc æquore Puppis,
Quæ tumido iactanda venit, magis indiga tanti
Experti rectoris erit. tu ſola ſuperſtes
Quæ clauum, bona diua, regas fluctuque tumenti
Naua gubernatrix ſubducas ritè carinam.
Tempeſtas iam ſæua tonat. iam fœta procellis
Dira tyrannorum rabies fremit horrida nimbis
Perniciem in noſtram. iurato fœdere vulgus
Supremumque genus, Ieſſæam perdere gentem
Flagrat, & ex imis ſtirpem radicibus omnem
Vellere, ne tanti vel nominis vmbra ſuperſit.
Hæc illi. ſed diua parens læto ore timores
Ponere iuſſit amans præſentia robora firmat,
Spemque nouam dictis addit. ſe ſpondet amicam
Semper opem ſuffecturam; natoque iuuante
Ad quæcumque animum, & vires latura pericla.
Ipſa adero præſens, nec fallam vota precantum.
Ite alacres; cæpto ſupponite terga labori,
Et cæli monſtrate vias. toto orbe vagantes
Innumeram Fidei ſobolem ſiſtetis olympo.
His dictis, ſuſpenſa tenet ſua lumina cælo,
Expectatque inhians, mortemque ad vota laceſſit.
Mors trepidans horrore. manum ſuſpendit ab ictu,
Atque inferre pauet tantæ diuortia vitæ,
Ne quis forte dolor ferientem fallat, & auſis
Crimen ineſſe ſuis queat. & cura irrita iuſſis.
O qui, dius Amor, morientem lumine cernis,

Atq; ades hic mecum, trepidantem ſolue periclo
Me ancipitem mortem. quis ſcit, mea dextra nocētē
Cuſpidem agat, pariatq; aliquem male cauta dolorē.
Dexterior tu munus obi. ſcis cuſpide dulci,
Mollibus & iaculis infigere vulnus amoris.
Tunc Amor ipſe ſuo telo celer impulit ictum,
Dulciter, & vinclis animam, nexuque reſoluit
Corporeo. illa volans amplexibus obuia natum
Irrita tunc tenuit. totis obtutibus hauſit.
O ego ſi poſſem, quæ mutua gaudia, nati
Tunc, & matris erant; quam læta illapſa voluptas
eſt animis; dulces qui ſenſus? qualis amorum
Illecebra, amborumque faces, & pectoris ardor
Carminibus retuliſſe meis? ſed carmine Phœbus
Se negat eſſe parem, aut poſſe hæc æquare canendo
Ergo animus, veluti laqueis pennata volucris,
Artubus vt ſe ſe ſoluit, corpuſque reliquit,
Membra iacent, tamquam placido correpta ſopore.
Clauſa putes dulci radiantia lumina ſomno.
Pallor erat qualis fuluo ſpectatur in auro.
Floridus ætherium ſpirabat vultus odorem,
Idem frontis honos, & amæni gratia vultus.
Quid faciat pia turba patrum, paruuſque ſenatus?
Seruitium funebre parat, ſolennia pompæ
Exequitur properè. ſocium vocat agmen amicum
Vt mæſtum comitetur iter. fert molle feretrum
Officioſa cohors defuncti corporis. ardent
In manibus flammæ; ſoluuntur lumina fletu,
Quæq; tulere Deum, tumulo pia membra reponunt.
Hæc cine membra. diu iaceant tumulata ſepulcro?
Mortis & iſta diu vitæ tegat vrna parentem?
Æterni ſolis genitrix aurora, nigrantem

Vmbrarum ſedem, & tenebroſas incolat ædes?
Tertia ab interitu vix iam præfulſerat eos,
Cum chorus aligerùm venerabile iuſſus ab vrna
Virgineum, (decuit qua pompa) educere corpus,
Illius; vt felix animaret ſpiritus artus,
Atque iterum reduces vitales redderet auras.
Hæc vbi, cælituum cætu plaudente, peracta,
Se ſe animus volucer cognatos fudit in artus,
Soluendoque alias nunquam ſe iunxit amico
Nexu; reſtituens melioris munera vitæ.
O noua quæ ſpecies rediuiuo in corpore? quantum
Splendet in ore decus? quo lumina bina nitenti
Sole micant gemino? maieſtas inclita vultus,
Et frontis qui dius honor? quo vere renident,
Purpureo fulgore genæ? qui candor eous
Immiſtus, decorat cœleſti lumine formam?
Non ſic mane nouo rediuiuus prodit ab vmbris
Aurora genitrice ſatus ſol aureus, vrna
Dia parens qualis radijs afflata refulſit
Inuectura polo tantum regina triumphum.
Ergo iter ad ſuperos nati ſubnixa lacerto
Aggreditur diuina parens. qui currus ouantem
Excipit? ætherijs quibus eſt inuecta quadrigis
Regnatrix decreta poli, mundique futura?
Cæleſtes animæ volucres thaumantide fulua
Effictum ſubita, varijſque coloribus aptum
Expediunt currum, rutilos ſinuata per orbes
Aſtra reuoluuntur, ſubeuntque immiſſa rotarum
Iuſſa miniſterium; radijque nitentibus aſtris
Compacti rutilant. Phœbi fulgore coruſco
Stat ductus temo. Zephiri pernicibus alis
Supponunt cito colla iugis, volucremque quadrigam

Regna per alta vehunt. laxas moderantur habenas
Cælicolæ magni, ſiduntque in puppibus altis.
Læta fremit feſtiua cohors, cantuque ſequaci
Ætherium comitatur iter. concentibus aër
Dulciſonis reſonat. cordas animare canoras
Hæc ſtudet aligerum pars. pars attollere voces
Altera geſtit amans, & læto carmine laudes
Ingeminat, Regina, tuas. extollit honores
Virgineos. celebrat fæcundi dona pudoris
Connubio ſeruata pari. conſortia matris
Virgineo cum flore canit. ſine labe parentum,
(Conceſſum nulli decus hoc, atque inclyta dona)
Te primos habuiſſe ſatus. calcaſſe Draconis,
Victricem furiale caput, retuliſſe triumphum
A primo inde ſatu, & palmas legiſſe niuales.
Non indicta abeunt ſummiſſi pectoris auſa,
Magnanimumq; decus, queis flectere numen ab aſtris
Ad tua vota potes, mortales cum induit artus
Teque vnam ex cunctis, voluit de ſtirpe parentem?
Tot paſſam memorant infracta mente labores
Ærumnaſque graues. nullis ceſſiſſe periclis.
Spectaſſe impauido morientem pectore natum.
Quid cum ſublimes omnes inuecta per orbes
Cæleſtes meritum victrix ſuperabis olympum?
Sub pedibus ſe luna tuis ſubſternet, & vltro
Supponet maculoſa iubar; venerata pudicum
Candorem ſine labe tuum. ſua nomina Virgo
Te ſubeunte polum, poſthac non auſa tenere.
Aurea ſaturnus dediſcet ſęcula. quando
Tu meliora dabis, Pietas tua, pondera libræ
In partem materna tui inclinabit amoris.
Ignea compeſcent mauortia ſigna furorem,

Re-

Regna ſubit quando pepigit quæ fædera terris.
Mercurium eloquij pudeat. tenet aſtra patrona,
Quæ, quamquam iratum, potis eſt lenire tonantem.
Quid fortunatum Iouis aſtrum vota repoſcant?
Hanc adeant. veniet nunquam ſpes irrita votis.
Quid Venus interea dum Virgo ſcandit olympum?
Illa licet probris hominum, vatumque canentum
Vapulet immeritis, ſed enim pudibunda nitores
Summittet pedibus tantum venerata triumphum.
Sidera cuncta dein plauſu gratantur ouanti,
Et vox vna ſonat trepidi nos linquite nautæ
Hæc veniet vobis melior cynoſura tuenda;
Hanc pelagi dominam veſtris accerſite votis.
Æquoreum ſubſternit iter. ſaxa abdita monſtrat.
Ad nutum accitis complebit carbaſa ventis.
Spes erit agricolis, ſoles dabit ire ſerenos,
Et cum terra monet, pluuios de nubibus imbres
Exorata dabit, morbis erit illa Machaon.
Quodque magis cupitis, ſtygio defendet ab orco.
Sed iam emenſa vias ſedes intrare beatas
Apparat. ætheree reuoluto portæ cardine
Panduntur. radiata auro atria laxa pateſcunt,
Atque aditus penitos cæleſtis regia monſtrat,
Et ſtratas adamante vias. in limine primo
Cælituum noua turba frequens ſe ſe extulit vltro
Reginam opperiens. geminat modulamina cantus
Et plauſus dat læta nouos; noua gaudia iungit,
Et ſociat feſtiua choris noua fædera vocum,
Reginamque ſuam feſtiua voce ſalutat.
Illa triumphali nati ſubnixa lacerto
Æternum genitorem, & ſtabile numen amoris
Læta ſubit, cælique throno regina locatur

Nos

Nos foris interea ſubſiſtere Phœbe iubemur,
Vlterius nec ferre pedes datur. ò bona diua
Carminibus te, quando meis ſuper aſtra petentem
Ac tenui muſa ſum poſt comitatus euntem,
Nunc ſi aditu excludor, portam & vetor ire patētē,
Cum me ſata vocant, & funeris hora ſuprema
Ad feretrum feſtinat iter, tumuloque propinquat,
Luctantem hanc animam, & nexus exire parantem
Corporeos dudum, moribundaque linquere membra,
Auxilijs dignare tuis, ac robore firma
Præualido victrix. ſtygios compeſce furores,
Et nocuos auerte dolos. mortalia tangant
Fac nulla; & fluxa hæc, memori dele omnia mente.
In fletus abeant oculi. præcordia iuſtus
Frangat iniqua dolor, ſcelerum contage perempta.
Tende manus, ſurſumq; leua, quò te auſpice cœlo
Inferar, & tecum ſocialia gaudia iungam.

VIRGO DEIPARA CORONATA

TE ſuperùm, Regina potens, ſuper aſtra petentē
Atque triumphali vectam per inania curru
Æthereamque domum ingreſſam, ſedeſque beatas
Carminibus mea muſa ſuis, greſſuque ſequaci
Eſt comitata. tenent tua nunc iam gaudia portum.
Tutaque iam plenis ſubierunt oſtia velis.
Nos hic interea tumido iactamur in alto;
Noſtraque ſpumoſis agitatur fluctibus alnus.

Ad trepidam conuerte ratem pia lumina, & omnes
Æquoreas proſterne minas. vitare latentes
Da ſcopulos. cæcas pelagi præteruehe ſyrthes,
Aſpiretque tui diuini flaminis aura.
Quam tu namq; ratem protexeris, æquora curſu
Soſpite tranſibit tumido nil territa fluctu
Tanget, & ætherei ſecuram litoris actam.
Nunc vero, bona diua, meum (præconia laudis
Emeritę ſuper aſtra tua) concede laborem,
Hunc mihi poſtremum plenis ſuccedere votis,
Aſpiretque fauor Vati, poſtrema canenti
Carmina, & è roſeis pia danti munera ſertis.
Ergo age muſa polo quando ſeſe intulit, altoq;
Eſt excepta throno, diuinoque ebria vultu
Cum nato ſublime ſedet, dextrumque ſedentis
Nati habet, & meritis æquam ſortita coronam eſt,
An par carmen habes meritis laudique parentis
Virgineæ? innumeræ numerus decreſcet arenæ
Illis collatus. numerentur marmoris vndæ
In cenſum veniant pluuij de nubibus imbres.
Quot quot habet, numeres, ingentia ſidera cœlum,
Et paruas percurre faces. frondoſa propago
Syluarum, nemorumque tui ſint carminis auſus.
Supputet Autumnus foliorum probra caduca.
Ver flores; ſegetes æſtiuo tempore tellus;
Et virides quot quot pubeſcunt molliter herbas!
Nil meritis æquale dabunt. ſunt præmia palmæ
Virgineæ numeroſa magis. concedit honores
Diua parens nato primos. ſuper eminet omnes
Poſt natum, diuina parens. velut aſtra teguntur
Indiga, cum radijs ſolis collata diurnis.
Cælicolum ſummi, medijq; atq; ordinis imi

Agmina, mirantur donis cæleſtibus auctam
Aligerum ſuper omne genus. vaga lumina flectunt,
Intenduntque aciem circum, ſi forte videndus
Inter olympiacos numeroſo ex ordine ciues
Par aliquis veniat. quæruntur lumine fixo
Agmina cælituùm, cuneis partita nouenis;
Ordine ſed terno. qui ſummis ignibus ardent
Et dio feruore flagrant. queis mentis acumen
Rimandique ſagax ſpecimen ſua nomina fecit,
Vos quoque qui vario polletis munere, & omnem
Seruitio præbetis opem, famulumque iuuandi
Acre miniſterium exercetis. ſumma poteſtas
Queis collata poli magna ad molimina ſeruat.
Quos dixere thronos. validos quos inclyta virtus
Indigitat dextris alacres, & robore firmos,
Principibus titulis qui gaudent; quique iubendi
Imperio celebres dominandi & iure potiti.
Et qui nubiuagi terræ legantur ad oras,
Et ſuperum mandata ferunt. cuſtodia pernox
Quoſque tenet vigiles, terrarum, & cõmoda curant.
His etenim cunctis præferri matris honores,
Diuinam, & cunctis longe præſtare parentem
Muneribus cernunt. ſummittunt agmina faſces
Omnia, quæ natus fert poſt captiua triumphum
Dum cælo inuehitur, vileſcunt ſanguine palmæ
Innumeræ Fidei teſtes,, monumenta cruenta.
Turba puellarum, thalamos exoſa iugales
Et caſtum complexa decus præconia laudum
Nulla tenent. niuei candoris laurea languet
Immenſum velut æquor aquis vaſtumq; profundum
Maternus ſe pandit honor. decora omnia cũctorum
Obruta ad ima iacent. ingenti luce refulget

Sol

Sol veluti. inuiſis latitant ſplendoribus aſtra.
Cum ſubijt regale Parens diuina ſupremum,
Poſt natum ſolium, & mundi moderatur habenas,
Immortale decus varium, ſertumque paratur
Virgineo capiti. feruet certamen amoris
Tres inter, diuini muneris; æmula dona
Congrua quiſque parat. natam, natiq; parentem;
Virgineam pater omnipotens dedit eſſe potentem;
Illius, & totum ſubiecit legibus orbem,
Fæmineoq; regi voluit ſupera omnia iuſſu,
Omnia, & ima, ſuis dictis parere iubentis.
En te, Diua parens, inquit, dum ſerta reponit
Virgineo capiti, nitidis non clara pyropis,
Aut quas æquor habet gemmarum pura nitore,
Sed Titana ſuper circum radiantibus aſtris,
En, ait, hæc noſtro dudum gens edita cælo
Aligerum pennata cohors, animæq; volucres
Reginam agnoſcent: quotquot ſuper aſtra cohortes
Ætheree innumeræ, noſtri decora inclyta regni
Ordine cenſentur triplici, tua iuſſa faceſſent.
Imperio tu flecte tuo. cuncta agmina iuſſis
Certabunt parere tuis. prece ſupplice poſcent
Ad nutus pendere tuos. & nutibus aſtra
Stent ſubiecta tuis. cælum vertigine crebra
Legibus ire tuis diſcet. moderata recurrent,
Tempora lege tua. ſpumoſis alpibus æquor
Extulerit ſeſe; montanas aggeret iras;
Culmine præcipiti liquidas trahat inde ruinas,
Et ſubito præceps vndoſis vallibus hiſcat
Tu iubeas tumidos compeſcet protinus æſtus;
Terga ſupinabit ſubſtratis fluctibus æquor.
Aduerſis concita plagis in prælia ſurgant

Flamina. nimboſas ineant certamine pugnas.
Iuſſeris. aëreis campis ſopita quieſcent.
Fulmina iter rapidum ſiſtent, flammaſq; volucres,
Imperium venerata tuum. Quis terror Auernum
Concutiet, quando vna tui vel nominis vmbra
Vix audita ſonet, trepidas illapſa per aures?
Non erebi manes talem ſenſere ruinam
Fulmine cum ſubito ſuperis de ſedibus acti
Horrida pręcipiti tenuerunt tartara lapſu
Ac cum, te audita, conuertent terga fugaces.
Hæc, Genitrix tibi dona Dei, conceſſit habenda
Omnipotens Genitor. quæ grandia dona parenti
Natus habere dabit? memori ſtant pectora fixa
Quæ dederis Genitrix · fueris quot paſſa labores?
Neſcit amor vinci, recolit quod geſſeris alūo
Intemerata parens. infantem preſſeris vlnis.
Vbera ſint teneris quoties admota labellis?
Conciliata quies, ſomni, noctiſq; ſoporæ?
Membraq; faſciola quoties conſtricta niuali?
Et repetet noctes vigiles. trepidoſque pauores.
Nocturnas ab vrbe fugas, greſſuſque pudicos
Per deſerta vagos. Quid cum ſudore madentem
Sanguineo; nexum vinclis, tractumque catenis;
Candida marmoreo religatum membra cylindro,
Vidit, & innumeris ſubiectum terga flagellis;
Immemor an fuerit! natum quòd viderit ipſa
Turpe coronatum vepribus? ludibria regni;
Coccineam clamydem; probroſa & ſceptra gerentē?
Prætereunda venit moles impoſta trabalis,
Crux humeris, alto diſtentaque brachia trunco?
Et vitam ante oculos caræ expiraſſe parentis
Mente memor recolet nulla? indonata recedent
Mu-

Muneribus? nullo nati dignentur honore
Tot mala? tot grauium certamina ſæua dolorum?
Innumeras deprompſit opes, & dona profudit,
Theſauris quæ digna ſuis, quæ digna parente,
Mortale ſuper omne genus, menteſque volucres
Euecta. arcanis illam cæleſtibus implet,
Datque alti ſecreta poli rimanda profundis
Conſilijs, ſcrutanda ſui abdita pectoris, vlli
Non vnquam conceſſa pari ſpectanda fauore.
Maternos quodcumq; magis ſublimat honores
Concedit; regniq; ſui iubet eſſe ſecundum
Poſt nati, ſublime decus documenta magiſtra
Addiſcant vltro quotquot regnator olympus
Ingenio volucres mentes complectitur illa
Luce ſua illuſtret, ſecreta ignota reuelet.
Inſtruat ignaras. Fidei moderetur habenas.
Scilicet in matrem fuerit largitor auarus
Qui tot in immeritos ingentia dona profudit?
E cruce latronem ſubitò dat ſcandere cælum.
Conſortemque facit regni. mucrone cruento
Qui latus effodit, faſtis adſcribit olympi,
Raptores ad regna vocat, ſe noſſe negantem
Dat cæli reſerare fores, & pandere olympum.
Bethanam Veneris demerſam fluctibus inter
Virgineos dedit eſſe choros. Quo extollere matrem
Debuerat ſuper aſtra throno? queis tempora ſertis
Cingere? queis donis decuit cæleſtibus auctam?
Crimine, quam nullo nulla quam labe parentum
Inſperſam decreuit amans, & quam ſibi tota
Humana de ſtirpe olim, cum tempora nulla
Æternum retro acta forent, ſelegit habendam
Virgineam in matrem; cuius de ſanguine membra

 Vi-

Vitali ſuffuſa vigent; qua luminis auras
Enixa tenuit, natales ſumpſit & ortus?
Neue minora forent (ſpirabile numen Amoris)
Quæ das dona manu; æqua etiam concedis habenda.
Influis in cordis latebras (mellita voluptas)
Nectareo torrente reples præcordia: totas
Dulcis habet vires animi circumfluus ardor;
Et quæ ſuaue vrunt incendia grata medullas.
Erubuere ſuis inſpectis agmina flammis
Cælituùm cuncta; & ſtupor obruit altius illos
Quos Amor extulerat; queis nomina flãmeus ardor
Maior habere dedit. reliquos ex ordine cætus
Cælicolùm, viſos collatis ignibus alto
Obriguiſſe gelu. Quid cætera dona parenti
Virgineæ collata canam? quæ munera cumq;
Numen amans, hominum menti concedit habenda
Virginis arbitrio ſubiecit. quodq; repoſcas
Ipſa roganda venit; cæcis mens tecta tenebris
In præceps ſine luce ruit? fiducia conſtet;
Poſce parentis opem. tibi lux erit orta repente,
Quæ cæcum prępandat iter, diſſetque tenebras.
In ſuperos refrixit amor, fax pectoris alget;
Ad matrem conuerte oculos. cor ignibus vret,
Diſſoluetque gelu. nocuo feruore caleſcis,
Vrit, & igne Venus? cæleſtis flaminis aura,
Implorata, faces auertet; comprimet æſtus.
Illa tuas terget lacrymas, duroſque labores
Molliet. ærumnis præſens ſolatia cunctis
Opportuna dabit faciles in prona ruenti
Supponet bona diua manus, paſſùmq; ruinas
Eriget. vna ſalus cunctis, erit vna leuamen.
Hanc tamen interea ne dedignere coronam

O pia diua, tuis mea quam tibi verſibus imis
Muſa roſis offert contextam . nil tibi noſtrum
Offerimus quamquam . tua uam tibi gaudia dantur.
Sunt tua dona, tui paſſi per cuncta dolores
Immenſumq; tuum decus eſt, quod carmina laudant.
Sit meus iſte labor, nullo dignandus honore
Laude licet nulla . tua quòd præconia tentant;
Obſequium ſeruile meum ne deſpice. quæ nam
In laudes par muſa tuas inſurgat, & altum
Tentet Apollo decus? tamen hoc concede roganti,
Æthereas, vt Diua Roſas, largo imbre canendo
Perfundam ex oculis mæſto . foueamque calenti
Pectore nec cultu ſegnis mea muſa notetur.



LIBER SECVNDVS

EPIGRAMMATVM

Lectori Beneuolo.

QVID opus ſecunda hac ad Lectorem Epiſtola? iam ſatis conſilij tui rationem in prima aperueras, quid iſta noui dicendum adducet, quod prima illa abundè non dixerit? In florum cultores prima diſtrinxir dictionis aculeos, num ſupereſt vt hæc ſecunda in alios bilem inclementer eiuret, & pia ipſa roſaria maledictorum ſpinis obarmet? habeo.mi Lector, quod tecum proloquar, & pauca amicè communicē.cum typographo fuit mihi non leuis altercatio,cū roſarium hoc typis cudendum afferrem; nam vt audiuit illud à me afferri ſuis expenſis edēdum in lucem, quando me omnis lux auri, argentique defecerat, hæſit primo me intuitus graui ſupercilio, naſoque ſuſpenſo; mox veluti per contemptum, accepto libello in titulum oculos curioſè coniecit; vt autem vidit latinis verſibus comprehenſum; quid, inquit,in hoc cudendo operam meam, labo-

rem-

remq;fruſtra conſumam? fortè ſi etruſc's verſibus illigaretur,id onus non grauatè ſuſcipe-rē ſpe aliqua lucri pellectus, in hoc vero roſario latinè conſcripto, quam mihi ſpem lucri cudendo reponam? deme puerolos, qui ſcholas frequētant,& muſis mitioribus ex inſtituto operam nauant, cæteris in nullo ſunt pretio hęc latina poēmata. an in lucem edam, vt in bibliotheca tenebris obruantur, & altiori ſordida puluere, non ſint oculis legenda, ſed cupidè voranda tineolis? marceſcunt in pluteis diuina P. Virgilij volumina, nec emptores alliciunt. an in hoc tuo roſario latebunt legendi cupediæ, & gulę litterariæ irritamenta ſuauiſſima? neſcio quæ vos dementia ſollicitet, vel quæ rapiat ad hæc carmina pangenda ignaua ſtupiditas? quin potius ad ea,quæ ad conſcientiam moderandam, & quæ ad morum quæſtiones tractandas pertinent, fructuoſius incumbitis, & calamum, ingeniūque meliori ſorte traducitis? eſſet enimuero non irritus labor, & æmolumento non careret induſtria, vt minimum in mortuorum ſuffragijs inuenirent hi libri ſolatium, & vitæ functi viuis erogata ſtipe ſuccurrerent, reperto ad ſacras aras opportunè perfugio,quando ab his carminibus,nec laudem, nec emolumenta percipitis. pen-
de-

debunt pro foribus bibliothecarum ſuſpen-ſæ tabellæ cum inſcripto libelli titulo: roſarum Deiparæ areolæ: florida hæc inſcriptio, & roſarum ſuſpenſa pubertatis amænitas Lectores alliciet ad curioſè quærendum, an ſpecioſo titulo reſpondeat carminum ſpecioſa venuſtas, & an Pindum oleant hæc culta roſaria. vix paucos verſiculos cum nauſea, & ſtomaco raptim, oſcitanterque percurrent, cum ſubito apollinea veluti ex tripode, cenſoria grauitate pronunciabunt, nihil eſſe quod ſaliuam erudito palato moueat, & poëticam famem nedum expleat, ſed neque ſollicitet. dicendi formulas non ad poëſis normam elaboratas. carmen rude, nec ad vota legentium ſatis excultum. tritam;ac vulgarem eloqutionem eſſe. nulla inter hæc roſaria exiſtere ingenioſæ mentis acumina, tandem cum ioco, riſuque ſardonico; hos libellos vel ad piperis cucullos deſtinandos, vel cum vitri fragmentis beneficij locò permutandos. hæſi ad hanc typographi audaciam, & ignauiſſimi capitis arrogantiam; dignam profectò, quæ ſtigmaticis in fronte, caracteribus notaretur, ſi in alium hominem incidiſſet, minùs iniuriarum patientem, & manu quàm lingua promptiorem. egò tamen me ipſe repreſſi, & leui riſu mo-

modeſtèque contumeliam diſſimulando præterij, ne tamen impunè eſſet audaciæ, neuè ex ſilentio creſceret belluina temeritas, pauca reſpondi ad arrogantiam typographi retundendam, & ad cauſam meam modeſtè tuendam. audi, excepi, mi typographe, & boni conſulas, quæ ad tuam ignauiam corripiendam opportunè ſubiciam, quando ex typographo in librorum cenſorem vltra typos audacter eniteris. non ſunt mea cum Virgilij carminibus conferenda, ſatis verè, prudenterque dictum. amens enimuero ſim, ſi aliter ſentiam, at perperam ineptèq; conficis, non eſſe propterea excudenda typis, præloque ſubicienda. enimuero hoc tuo belluino, ſtolidoque iudicio poëtas omnes eraſeris, qui infra Virgilium, edendis non ſine laude, incubuere carminibus, atque in omnes æquè artes contumelioſus exiſtis. Quis enim pictor, Apellis, aut Zeuſis egregium pingendi artificium, aut medullam tetigit? ergo nullus in pingendi artem enitatur. tamquam baſilicè aurito tibi omnes alueolos, tabulas omnes, omnes penicillos, antiqui, recenteſque pictores in faciem, caputque conijcient, & colore non tuo te in bono, vel potius malo lumine collocabunt. ſunt enim in qualibet arte, optima; ſunt mediocria

illa

illa ſummis extollenda præconijs. hæc non ſpernenda.ſed venio ad artẽ tuã:habent vtrũque Lugdunum, Gallicum, Batauumq; Colonia, Antuerpia,Abſtelodamum, egregios in cudendi arte typographos, an propterea hic Neapoli nulli typographi. Tu in primis hic te ambitioſè circumſpic s, & horum numerũ explere præſumis.qua verò laude? librorum lituræ teſtantur. Miſeros auctores,magis quã libros prælo torques. mendis erratiſque ex interuallo corrigendis multæ pagellæ non ſufficiunt. lite æ inuerſę. non ſatis expreſſæ. cœcæ, diſtortæ, implicatæ. vnæ pr alijs impreſſæ. Quot in generibus peccata? quot in caſibus deploranda mutatio, in ſyllabis incepta coniunctio,quot per veſtram inertiam in grammaticam, in metrum ignominioſa dedecora? vt cùm liber in lucem editur ſatiùs foret, vt tenebris obrueretur, & vos iure merito prælo ſuppoſiti, tamquam librorum carnifices atramentum ſanguine lueretis.hęc vt citra iram; furoremque profudi, ne quid obloqueretur inſanius,me repentè proripui, experturus meam fortunam apud alium typographum. faxit Deus non iſto peiorẽ; omnes enim ex eodem trunco malè dolati, promiſſa ad nauſeã vrbana,& penè iurata.lubrica ſemper fides,& vana;intra quator menſes librum

brum typis abſolutum ſanctè promittũt. duo penè anni effluxere, & prælum adhuc otiatur, typiq; ſopore correpti ſtertunt in arculis. iurant typos recens excuſſos, affabrèque elaboratos; exeſi rubigine, ſemeſas literulas, & vix optico tubo conſpiciendas, efformãt. alipedes cum pretium poſcunt. cum ad errata corrigẽda vocãtur, teſtudine tardiores: quodque omnium malorum grauiſſimum; ipſi peccant malè cudendo, nos tamquam ignaui male ſcribendo damnamur.

Digitized by Google

Ieſu nomen inditum.

DVra licet lapidis tibi nomen. & aſpera cuſpis
Fecerit. hoc nullum dulcius ore ſonat.
Et quamquam immeritò fuerit tibi vulnere partum
Immerito merita eſt vulnere parta ſalus.

Chriſtus circumciſus lapideo cultro.

Sanguineo, gens Iſaciduùm, damnata tributo;
Iuſſaq; poſt ortum vulnera dura pati,
Solue metum. duræ molleſcunt tempora legis
Hoc lapide infantis vulnere vulnus abit.
Excipient, mox inde tuam non ſaxea vitam
Limina; ſed fiet mollior amne via.
Plaga recens inflicta Deo, potis vna mederi eſt;
Ærumniſque tuis meta erit iſte lapis.

Chriſtus à Magis adoratur.

Adijcit hæc etiam miracula Numen in ortu.
Vt ſolem ductu ſideris inueniant.
Et magis hoc mirum. Reges oriente relicto
Naſcentem veniunt quærere nocte diem.
Myrrhea naſcenti tribuunt, & dona ſepulcri.
Tam citò vaticini fata futura canunt?
Ferri aurum erubuit, fera nam ſibi bella parari
Senſit, & hoc ortu pauperis; interitum.
Thura magis feſtiua Deo ſe dona tulere.
Munere grata ſuo fumat acerra Deo.

De ijſdem.

Cerne Dei infantis miracula? ſolis ab ortu
Memnonios Reges ore ſilente vocat,
Quæ tua, paupertas, ſublimis gloria? viſa
Aurea ſe pedibus ſubdere dona tuis.

De eadem adoratione Magorum.

Tergemini regale decus, trinamque coronam
Infantis pedibus ſuppoſuere duces.
Præripuere Dei naſcentis vota ſabæi
Reges. non ambit talia ſerta caput.
Senticomis amor eſt in ſertis. ſi iſta tuliſſent
Serta; pedes non; ſed iuſſa tenere caput.

Chriſtus in monte transfiguratus.

Montanus ſuperatur apex, celſumque cacumen,
Vt pateat, qualis detur ad aſtra via,
Ora nitent rutili ſolaris luminis inſtar.
Et niuis in toto tegmine candor erat.
Diue, ſed hæc memoris funeſtas gaudia mortis
Nomine, & ad funus ſermo ſolutus abit.
Nempe doces mortem defixa mente reuoluat
Hoſpes olympiacus, qui meus eſſe cupit.

Chriſtus Euchariſtiam inſtituens.

Cæleſtis moriture paras conuiuia vitæ.
In cereris tectus ſe dape prodit amor.
Dona nec effuſi per vulnera ſæua cruoris

Pro-

Propinas ſpecie tecta bibenda meri.
Hæc ſi dona paras mox mox prodendus amico;
Quid facies nullo crimine læſus amans?
Daps non iſta venit nimio quærenda labore.
Non hic difficilis potus habendus erit.
Ore calix ſorbendus, erit ceres ore terenda.
Oris & hæc ſacri dona loquentis erunt.

Chriſtus Gethſemani hortum intrat.

Intrat odoratos hoſpes moriturus in hortos,
Mortis vbi ad captum retia tendit Amor.
Inſidias aſtus furtim molitur amicus,
Impietas laqueos nocte ſilente parat.
Fallere neue queat tenebroſas præda per vmbras
Oſcula preſſa labris ſigna doloſa dabunt,
Exultat prædator Amor. iam præda cruenta eſt,
Iam data ſanguineo cernitur illa ſolo.

Cœpit pauere; & tædere.

Surgere te contra ſolymæ, populiq; furorem
Non ſatis, & turbas conſociare nefas?
Horror, & ipſe tuus ſocialia fædera iungit.
Et tuus ipſe minax ſurgit in auſa pauor?
Tædia lenta, ſuo pigro torpore ſoluto,
Expediunt celeres in tua damna manus.
Exultans alacer committit prælia mœror.
Mentem belligeris implet imaginibus.
Seditio interni victrix iam læta tumultus
Exilit. irriguo ſanguine ſtratus humi es.

Chriſtus in cruce moriens.

Hoc pateris natura nefas? trabe penſilis alta
Occidit ipſe tuus conditor. vltor vbi eſt?
Non opus hic lacrymis; non vanis luctibus orbem
Compleuiſſe iuuat. protinus arma cie.
Abſtulerit nox atra diem. ſol territus vmbris
Seſe condiderit. terra pauore tremat.
Diſſiliant ſciſſi lapidoſa in fragmina montes
Æſtuet in tumidas æquoris vnda minas.
Ipſa animata, ſuis redeant defuncta ſepulcris
Corpora; num cædes numinis vlta venit?
Degeneres inquit ſic vos furor impius armat?
Parcere cum doceat, perdere diſcat Amor?

Chriſtus reſurgens:

Hæſit marmoreum ſubito terrore ſepulcrum
Corpus vbi infracta ſenſit abeſſe ſera.
Seq; per obſtantes lapidis penetrabile poſtes
Corripuiſſe foras; nec patuiſſe vias.
Et mors ipſa magis deriſa expalluit vrna.
Seque domo pulſam, fleuit, & erubuit.

In idem arg.

Mors vbi tuta tibi ſedem regnumque repones
Ipſa tuis quando pelleris è tumulis?
Id ſuper eſſe vnum ſibi mors credebat aſylum.
Viuitur hic etiam quæ loca mortis erunt?

Ad ſtipulas infantis Dei.

Diue; iaces infans cereales inter ariſtas.
O mihi quæ cenſu diuite meſſis erit.
Nec me ſollicitant glacialia frigora brumæ:
Bruma minor, maior cordis at æſtus erit.

Et in terra pax hominibus.

Læta canunt terris ſuperi noua fœdera pacis,
Obſide quæ nato Numine ſancit Amor,
Vſque ratum quin iure putes hoc fœdus olympi?
In ſua terrigenæ vincula Numen habent.

Infans pannis inuoluitur.

Si quod vulnus habes noxæ penetrale latentis;
Et penitum ſi quod pectoris vlcus hiat,
O tibi quam facilis ſuccedet cura medentis.
O tibi quam nullo parta labore ſalus
Infans molle dabit medicati munus oliui.
Faſcia, quæ religet vulnera. mollis erit.

Chriſtus Gethſemani hortum ingreditur

Gethſemani colles, riguos, & fontibus hortos
Cultaque oliuiferi florea ruris amas.
Horride pœnarum, cultor, qui gaudia temnis,
Veris odorati cur iuuat arua ſequi?
Vrget amor pœnæ, nam quæ ſibi regna voluptas
Deſtinat; ad pœnas ingenioſus amo?

In ſanguineum ſudorem in horto

Æger Amor languet nimio dum torridus æſtu,
Nec datur immodicis æſtibus vlla quies,
Vt leuet ardentes, vrunt quæ pectora flammas,
Largius egelido membra cruore rigat.
Sed nec flamma modum ponit. quæ forſan Amori
Proſit, atrox veniet danda medela malo.
Fellea compoſitis potentur pocula ſuccis.
Forſitan hæc æſtum pocula pota leuent?

Chriſto moriente Sol obſcuratur.

Induxti tenebras fulgentem Solis in orbem
Dum tua nex ſolymis diue patrata venit,
Et fuit hæc pietas; vltor ne cædis olympus
Tam graue plectendum cerneret inde nefas.
Aut latuiſſe cupis ſcelerata hæc criminis auſa,
Ne pateat, tantum deſipuiſſe homines.

De malo latrone.

De Cruce ſuſpenſus lingua conuicia iactas.
Odiſtique Crucem, quam benè ferre decet.
Nil mirum nullo fueris quòd dignus amore.
Oſores, medius non amat iſte Crucis.

De bono latrone.

Hunc fugiſſe caue, latronem care viator.
Non tua furta cupit, ſed ſua furta docet
Affixuſque Cruci in celſum graſſatur olympum.
Hæc ſi furta cupis, te docet ille viam.

De

De eodem bono latrone.

Hæc eſt quam felix cæli tua latro rapina
Cum rapias, debes reddere latro nihil.

De eodem.

Latro nocens olim, nunc impia furta peroſus,
Artem furandi diſcis habere nouam
Nec paucis contentus eras, minimiſq; rapinis.
Porrectis manibus regna beata rapis.
Callida furandi, tibi non, ars priſca relicta eſt
Materiam mutas; culpa nec vlla ſubeſt.
Vnum ſubuereor, ne felix iſta rapina
Ad ſcelus audendum tutius, orſa iuuet
Et nimis indulgens veniæ ſpes incitet auſus
Et mage mors fiat, quam tua vita nocens.

Chriſtus felle, & aceto potatur.

Quem, mortale genus, ſitienti porrigis hauſtum?
Acris aceti, cum fellis amaritie.
Nempe nihil poteras hominum mage moribus aptū
Hæc homo propinat pocula, & ipſe bibit;
Non tali ille tibi ſitienti conſulit hauſtu
Promitur ex cordis vulnere lympha ſiti.

Clamans uoce magna emiſit ſpiritum.

Quid vitam tanto moriens clamore relinquis?
Grandius, & minimis viribus ore tonas?
Poſt etenim tot ſigna vides torpore ſoporum,

Atque hominum ſurdis auribus eſſe genus.
Vel quia, quam manibus complexu ſtringis anhelo
Crux optata diu ſit remouenda tuis?
Eſſe putem potius validos de pectore queſtus
Quòd tibi non alter latro ſit ille comes?

Pater ut quid me dereliquiſti.

A Patre cur doleas ſolamina cuncta relicta?
Quæ tecum eſt genitrix vna, leuamen erit.
Hæc vbi ſit præſens, quamuis mala cuncta fatigent;
Aduerſa vt fuerint, ire ſecunda dabit.
Nec tibi cura tui poterit genitoris abeſſe
Hæc fuerit præſens? poſſit abeſſe decus?
Cerne ſed inſanæ voces, gentiſque profanæ?
Te Eliæ clamant quærere ſubſidium.
Veh vobis ſi, vt ferret opem, quæſitus adeſſet;
Exitium in veſtrum flamma rogata foret.

Cœcus natus uiſum recipit.

A primo inde ſatu cæcum, bone diue, tueris,
Forte per vrbanas dum graderere vias.
Illius & ſubitò tetigit te cura ſalutis,
Atque oculis grato munere ferre diem.
Nec mora, bina luto ſunt oblita lumina, & omnis
Nox abit, inque oculis protinus orta dies.
Si mens cæca hominum cupiat ſic luce potiri,
Natale ante oculos diſcat habere lutum.

Iubent cuſtodiri ſepulchrum.

Mandant ſeruari vigili cuſtode ſepulcrum.
Ne raptum è tumulo viuere fama ferat.
Peruigilat cuſtos pernox ; tu,diue,reuixti
Sed iuſſus, raptum dicere, dum recubat.
Nec bene mentiri docuit gens ſubdola . ſomnus
Lumina corripuit , dum rapuiſſe vident ?

De Cruce doponitur.

Dum ſibi te raptum tua Crux, clauiſq;refixum
Vidit , & amplexu ſic caruiſſe tuo,
Optauit quoties in brachia cara redire,
Atque tuas iterum fixa tenere manus ?
Nec tibi diuulſo ſocijs amplexibus , impar,
Quin fuit, & maior , quam tua pœna minor.
Hoc ſolamen erit vobis , quod finis amori
Nullus erit , Cruce te nec ſine, diue,dabis.

Chriſti ſepulchrum,

Hæc caue prætereas , dum pergis,ſaxa viator
Iſta tuos nequeunt lædere ſaxa pedes.
Quin magis, iſta viam tribuent reperire ſalutis
Et tibi funebri è marmore vita datur.
Vnus hic eſt lapidum duro qui dente nequiuit,
Sarcophagus veluti membra vorare lapis.
Quod mirere magis. tam odijs infeuſa malignis
Cum morte in tumulo hoc,vita coire poteſt .

De Chriſti Cruce.

Mortis in hoc trunco, quam felix inſita vita eſt?
Et tibi tam felix hic quoque truncus erit.
Non ſic illa prior fuit arbos. inſita vitæ,
Mortis ad arbitrium protulit omne genus.

De eadem.

Crux, tibi materiam, quæ nam ſuffecerit arbor,
Conſcia ſit quamuis, fama referre neget?
Arboreis ne forte foret lis inuida truncis
Ire ſuper cunctas arbor, & vna queat.
Forte decus tacitum ſibi ſumeret arbor oliua.
Inde etenim indulgens vnguine fluxit amor.
Sumeret & merito; niſi quod tali obſtat honori
Palma. Cruci mage quam, parta trophæa decent.

In vnum ex Chriſti clauis.

Conſtantine, iubes in frenum vertere, clauum
In cruce, quo fixa eſt Numinis vna manus.
Nempe ad ſueta olim iuſſiſti munera cudi;
Hoc, erebum domuit de cruce diua manus.

In Iudam.

Quam bonus auditor fuit hic? dum vera docetur
Hoc vnum didicit, non niſi falſa loqui.
Pauperiemque docet, vitam, & commendat egenã
Hic loculos rapere, & furta patrare manu.
Sæpius ingenuum quamuis inculcet amorem

Hic

Hic tantum doctus prodere amicitiam
Venditor infelix; peregrinis ære paraſti
Collecto tumulum, ſed tibi vix laqueum.

In ſacram Sindonem.

Tota hac Iliades tela eſt vmbrata dolorum,
Et memores oculos ante relicta tuos.
Forte doles ſolas vmbras tibi morte relictas?
Vna hæc extincto ſole ſuperſtes erat.

Ad inferos deſcendit.

In latebris terræ atque obſcuris nocte cauernis,
Solis inoccidui candida fulſit eos.
Quæ captiua cohors tibi mens, cum noctis in vmbris
Expectata diu luxit amica dies?
Eſt erebi triſtis dolor? an mage læta voluptas.
Ima quod illius celſus olympus adit?
Eſt mora facta breuis. ſtatio ſi longa fuiſſet
Auſus & ipſe erebus dicier eſſe polus.

Chiſtus reſurgens.

Concuſſa tellure redis rediuiuus ad auras
Nec ſine, te peperit, terra tremente ſinu.
Nempe fatigatur magni molimine partus.
Et reducem ad fœtum preſſa dolore tremit.
Ni potius vis facta neci eſt, & vita reſurgens
Et mors fruſtra obſtans, hos peperere ſonos?

Obſi-

Obſignant Chriſti ſepulcrum.

Gens hominum, cui mors ingrata eſt;ducere longos
Quæ cupis, & curas cauta videre dies?
Stulta quid obſignas defuncti vecte ſepulcrum?
Quas auferre decet, ponis iniqua ſeras?

Chriſtus rediuiuus cum vulneribus.

Neſcia vita mori, & referens de morte triumphũ
Eſt potis indecores mortis habere notas?
Immortale decus violabit fœda cicatrix?
Mortis habere queunt vulnera hiulca locum?
Mens hebes ignoras, ſint quare quina retenta
Vulnera! deuictæ mortis in opprobrium?
Vt pateat miſeris, quo ſe tueantur, aſylum,
Dum ſequitur diæ vindicis ira manus.
Ne non vnum anceps habeat tua cauſa patronum
Os; ſuper, hoc quini vulneris ora patent
Vſque patrocinij fidam ſpem concipe. nunquam
Supplicis ad votum clauſa videre licet.

In idem arg.

O' ſis vſque memor tibi quæ portarit olympo,
Et quæ reddideris munera, Terra, Deo?
Affert ille tibi cæleſtis dona ſalutis.
Vulnera tu reduci non niſi terra dabis?

Zacchæe feſtinans deſcende.

Vt te forte queat Zacchæus, diue, videre
Arboris in fatuæ culmen adurget iter.
Sed tu, diue, iubes deſcendere. protinus ille
Iuſſa capit. quantum pumilus iſte ſapit.
Non qui celſa petit, ſed qui petit ima, ſalutis
Eſt quæcumque doces hic didiciſſe potis.
En quæſita diu dediſcit quærere lucra
Sat bene. te, lucrum quærere maius erat.
Iam cunctas effundit opes. miracula ſunt hæc,
Vt ſit munificus, qui modò auarus erat.

De Centurionis ſeruo.

Æger erat ſeruus, neruis totiſque ſolutis,
Torpida nec poterat membra leuare toro.
Centurio te, diue, rogat ſuccurrere morbo,
Quamque potes ægro, ferre ſalutis opem.
Te citò venturum ſpondes. negat, eſſe neceſſe
Ille; ſed vt verbo iuſſeris illa redit
Conualuit. Seruique ſalus non reddita tantum;
Sed domini; quam non, diue, rogatus eras.

Languens prope probaticam piſcinam.

Hic annos triginta tulit languoris, & octo,
Nec potis auxilium ferre ſalubris aquæ.
Nempe ſuo infelix decumbens vſque grabato,
Sors vndæ eſt, illo deſide, rapta prius.
Præteriens tu, diue, rogas, velit anne ſalutem?
Annuit. eſt ſubitò reddita firma ſalus.

Mutauere vices æger, poſitumque grabatum,
In quo æger iacuit, fert ſua terga ſuper

Decem leproſi mundati ſunt.

Conuenere decem vitiati corpora lepra.
Implorare tuam, diue, ſalutis opem.
Ante ſacerdotes ſe ſiſtere rite iubentur.
Dumque irent, toto corpore pulſa lues.
Vnus adeſſe tamen viſus tibi reddere grates;
Cum morbo, eſt aliis cura relicta memor.
Immemores alios doni, miraris abeſſe?
Mireris potius, diue, quod iſte memor?

De cæco nato.

Ederis in lucem, viduatus lumine, & orta
Eſt tibi natalis, lucis egena, dies.
Sors tua ſed felix; alia nam luce tueri
Contigit, atque alio ſole videre diem.
Nam tibi præteriens oculos aſpexit ademptos,
Munera qui præter qualibet ire negat
Oblinit ille luto tua lumina cæca. repente
Lux redit, atque oculis reddita fulſit eos.
quodque magis mirere, lito quo extinguitur, ardet
Viuida fax oculis bina, coruſca luto.

Filius viduæ Naim reſuſcitatur.

Huius te capiat viduæ, bone diue, parentis
Cura memor, nati flentis ad interitum:
Hic illi, vnus amor fuerat, vitæque leuamen;

Hic

Digitized by Google

Hic ſpes vna domus læta ſuperſtes erat.
Ætatis ſub vere nouo mors abſtulit atra.
Vidit, & occiduos, ſole oriente, dies.
Quid nectis mors lenta moras? nunc præripe curſum
Ocyor. indecorem carpe coacta fugam?
Imperat hic ſiſti feretrum, elatumque cadauer.
Materniſque iubet fletibus eſſe modum.
Mox loculum tetigit, rediuiuum funus, & exit.
Et feretrum in cunas ire, repente dedit.
Huius te viduæ fletus flexere parentis:
Scilicet ante oculos matris imago tuæ eſt.

Iudas Chriſtum vendit.

Vſque tenax; ſed enim ſemel omnia prodigis; auri
Dum vili pretio vendis, inique, Deum.
Prodis amica tui tam cari iura magiſtri
Addere criminibus crimina ſemper aues,
His ſua criminibus ne deſit iure corona,
Innexus collo ſerta dabit laqueus.

Intrat Gethſemani hortum.

Ærumnas ad, diue, tuas tibi deligis hortum.
Se ſe inter flores ſpinea cuſpis aget.
Triſtitiam tibi lætus ager, cauſamque dolendi
Afferet, & trepido tædia mæſta dabit.
Fiet, & ipſe pauor, non ſuetis viribus audax
Te contra; tenebris tectus, & arma geret.
A prece ſubſidium. ſed enim tibi poſcis, & inſtas
Orando. hæc tantis certa medela malis.

San-

Sanguinem ſudat in hortu.

Impatiens perferre moras ad vulnera quondam,
Sanguis amans, venis ſponte relaxat iter.
Libertas properanda venit; ſe carcere claudi
Non patitur. precox exilit amne cruor.
Ne tibi ſubrepat quod vi perfuſus, amorem
Indicet; vltro etiam dat tibi, ſigna cruor.

Simon dormis?

Hæc funeſta, Simon, tibi nox potis eſſe ſopora?
Hora tibi vigili nulla nec eſſe queat?
Siccine mox fueris commiſſi paſtor ouilis?
Pars quota de grege non viſa ſuperſtes erit.
Sint conſueta Petri tua nomina iure ſilenda.
Dedecet hoc nomen quem ſopor altus habet.

Conuerte (ad Petrum) gladium tuum in vaginam.

Me coram vindex furioſas ſurgis in iras?
Atque aurem truncas, vltor vt eſſe queas?
Non hoc vltrices ſibi tempus poſtulat iras.
In me cæſæ auris vulnera adacta putes.
Anne meo hic hortus ſacratus ſanguine; dextra
Vindicis indigna cæde profanus erit?
Læſus amor meus hic eſt. non vindicta, ſed ingens
Me coram, eſt cunctis parcere laudis opus.

Petrus aulam ingreditur.

Quam tibi, Petre, nocens prior hic ingreſſus in aulā?
Sis citò mentiri cum didiciſſe potis?
Scire cupis quare propius te ſiſtis ad ignem?
Namque à ſole procul, te tenet acris hiems.
Diſſimiles, vt cerno vices? prope marmoris vndas
Arſit, vicino ex igne refrixit amor.

Chriſtus columnæ alligatur.

Fabula quid memores, religatum rupe Prometheum
Quod tulit in terras ſolis ab orbe faces.
Has tu vinčte luis pœnas; nec fabula ficta eſt
Diue, quod in terras vexeris inde faces.

In idem argumentum.

Ne fore ſpes hominum metuas aliquando caducas.
Cunctorum hoc veniet marmore fulta ſalus.
Huius complexum metuas ſtyx atra columnæ.
Altera Dagonem vulſa columna premet.

In idem argumentum.

Hac, *ne crede dolor, metam poſuiſſe columna*
Ærumnis. vltra dius anhelat Amor.
Vertice figendi ſtimulant præcordia vepres.
Hac, ideo ſaxi vincla ſoluta cupit.

Spinis coronatur

Sic regnare doces. ſentes pia regna doloris
Spreta vides alijs. ſunt tibi frontis honor.
Noſtra olim tellus vepribus damnata ferendis
Dicta, & ſenticomi ceſpitis eſſe parens,
Dedecus hoc renuit. probro negat amplius eſſe
Cum ſpina eſt capiti viſa ſedere tuo.

In idem argumentum.

Hanc decet imponi capiti de ſente coronam.
Talia nam poſcit Rex ſibi regna dolor.
Hanc refugis, roſeis inhians malè ſana voluptas.
Vt fugias, cordi ſpinea cuſpis erit.

Purpura induitur.

Poſceris ad pugnā, Gens impia. pugna propinqua eſt
Purpurea ex humeris dat tibi ſigna clamys.

Arundo in dextera.

Dedecus in veſtrum hac armatur arundine dextra.
Frangere vos etiam cum ſit arundo ſatis.

Pilatus manus abluit.

Rore manus tergis, quæ nullo crimine peccant
Impia quin potius lingua lauatur aqua?
Sed fruſtra hanc etiam totum maris abluet æquor,
Quando nec æterno purgat in igne focus.

Cru-

Crucem baiulat.

Pone manu ſceptrum lenioris arundinis. armos,
Crux ſubeat grauior; ſed tibi grata magis.
Nempe memor, tibi, quod tuleris, benefacta repẽdet.
Quodque cupis, te mox altius illa feret.
Illam dum ferres; vidit te ſępe ruentem.
Neue ruas iterum brachia tenſa dabit.

Chriſtus cruci affixus.

Hac tua fixa ſalus cruce iam, ſpectabilis hæret;
Amplecti hanc renuis? non erit vlla ſalus.
Forte quod amplecti nequeant te brachia clauis
Fixa times? patulum ſat tibi pectus erit.
Quid fluxis inhias, rebuſque fugacibus orbis?
Quæ cupis, hic ſemper gaudia fixa manent.

In idem argum.

Iam ſublime tenes regnum, bone diue, dolorum.
Et datur optatum ſcandere poſſe thronum.
Sed tibi non vno venit certamen ab hoſte.
Nec ſemel aut ſatis eſt conſeruiſſe manus.
Per plures tibi pugna gradus inimica parata eſt.
Cæde & ab hoſtili nec data certa quies.
Nox te certantem florenti vidit in horto.
Et pauor, & mæror triſtis in arma ruunt.
Cerno laborantem, roſeo & ſudore madentem
Te terrore fugax linquit amica cohors.
Triſte catenatum te aſpexit ſæpe tribunal.

Et tua pulſa rubent ora verenda manu.
Cum duro potuit robur certare cylindro.
Erubuere humeris victa flagella tuis
Senticomi in caſſum foderunt tempora vepres.
Iſta tibi maius ſerta tulere decus.
Crux humeris impoſta tuis oneroſa trophæa
Suſtinet, & ſpolijs hæret onuſta ſuis.
Nil reliquum. iam ſcande thronum regnumq́; capeſſe
Hoc clauis fixum firmius vſq; manet.

Mulier in adulterio deprehenſa.

Hæc modo connubij fœdauit adultera leges.
Iuſſa etiam ſaxis lege petenda venit.
Hæc, te, quando lubet, quæratur iudice cauſa.
E tua iudicij ſit penes ora fides.
Cernite liuoris mendacia, cernite, & aſtum.
Quæritur, vt iudex, poſſit vt eſſe reus.
Flexus humi; tu diue notas in puluere ſignas.
Arcana & digito ſenſa repoſta tegis.
Mox, veſtrum fuerit quicumq; hic criminis expers;
Primus in emeritam ſit lapidator, ais.
Tunc abeunt cuncti taciti, nulluſque ſuperſtes
Templa tenet; mulier damna nec vlla tulit.
Fæmina quàm indulgens, videas, ſis nacta tribunal.
Puluere in efflando, noxa notatá tua eſt.

Chri-

Chriſtus tempeſtatem ſedat. ipſe verò dormiebat.

Te ſopor, vnda tenet pelagi, atq;immota quieſcis,
Dum Numen vigili lumine puppe ſedet,
Vix ſua declinat dum Numen lumina ſomno
Excitis ſubito fluctibus vnda tumes.
Æquoris vnda ſapis; nam oculorum luce ſerena
Illius,exciri quæ auſa procella foret?

Chriſtus arguit S. Thomæ infidelitatem.

Morte triumphata, quòd non mea vita reuixit
Nunc etiam ancipitem pergis habere fidem?
Tende manus. infer digitos in vulnus hiulcum,
Et teſtes habeat lumina, cæca fides
Credidit, & fidei quæ ſunt inimica tuentis
Lumina, bina queunt clara iuuare fidem.

Domine ſalua nos. perimus

Euigila, placidumque oculis depelle ſoporem
Obruimur. propera, diue,ſalutis opem.
Intumuit ſine lege ſalum. iam cymba marinis
Fluctibus eſt impar; vnda refuſa tegit.
Increpat ille fidem modicam, quam lumine clauſo
Viderat; & vanè quid trepidatis ait.
Inde ſalo ſua iuſſa dedit. ſubſternitur vltro
Vnda tumens, vltra ferre nec auſa minas.
Diſce memor, fuerit tecum ſi Numen; obibis
Si qua pericla; tamen, tecta erit vſque ſalus.

Magdalena Chriſtũ à Fariſæo coniuiuio exceptum adit.

Vnguento linit illa caput tibi, diue; ſed imis
Es tu vulneribus facta medela ſuis.
Cum graue nempe oleat putridum cor, non ſine odore
Ante tuos audet procubuiſſe pedes.
Obliquas tenuiſſe vias pudet ardet inire
Rectum iter; atque duces hos cupit eſſe pedes.
Et crines ſoluiſſe decet. ſic nempe ſolutis
Faſſa eſt, ſeruitium depoſuiſſe, comis,
Sunt quàm fauſta tibi hæc conuiuia Magdali! fletus
Affers; & cordis gaudia læta refers.
Non Bromij latice, & generoſi rore lyæi;
Ebria ſed dio pectus amore redis.

Chriſtus infans fugit in Ægyptum.

Niliacas cœli monitu fugitiuus in orás
Diue, per hybernas cogeris ire niues.
Celſa Pharos nitido quin diſcutis igne tenebras?
Quin famula noctis tempore luce præis?
Officium renuis? ſat dijs Numen ocellis
Exiget & noctem, noctis & igne gelu.
Ne tamen ignores venturi Numinis orſa.
Hoc tua venturo Numina falſa cadent.
Iſida dediſcas, dediſcas nomen oſyris.
Nomina erunt vndis obruta, Nile, tuis.

De

De Samaritana. Mulier da mihi bibere.

Diue, fatigatus longinquo errore viarum.
Fonte ſuper, medio ſole calente, ſedes
Cumque habeas propius gelidos de fonte liquores,
Poſcis, vt ad potum det Samaritis aquas.
A dape ieiuno (quamquam ſitis ardor adurit,)
Hauſta nimis large ſorbilis vnda nocet.
Allatis veſci dapibus tu, diue, recuſas.
Et cupis hoc nocuo rore leuare ſitim?
Hos ego non latices; lacrymarum poſco liquores.
Hæc aqua (ſit quouis tempore pota) iuuat.

De eadem Samaritana.

Hæc Samaris, pennata velut fugitiua volucris,
Per fœdas errat turpe ſoluta plagas.
Aucupio tu, diue, ſagax animiſque trahendis,
Fontanas propius retia tendis aquas.
Ad potum feſtina, dies dum feruet ab æſtu
Venit, & in dias incidit illa plagas.
Quam tua ſors felix Samaris, cum ſumere lymphas,
Veneris ad fontem, corda tulere faces.

De eadem.

Diue rogas hauſtum laticis de fonte fluentis.
Sed mage cæleſtes tu dare quæris aquas.
Quæ tu, diue, dares, ignorans munera lymphæ,
Negligit. vnde tibi ſit rogat hauſtus aquæ?
Ne fugiat tibi præda iubes vocet illa maritum.

Dum negat illa vnum, ſeptimus arguitur.
Erubuit, detecta videns ſua crimina; & vndæ
Obſita; ad lacrymæ verſa recurrit aquas.
Quam felix captura venit tibi, diue, per vndas
Vnius ad captum, plena ſagena tibi eſt.

Chriſtus in cœlum aſcendens.

Cum te, diue, rapis nobis petiturus olympum,
Montani quare, culminis alta petis?
Nonne tibi facilis foret hic aſcenſus ad aſtra,
Et ſi te reducem preſſa teneret humus?
Nempe iter oſtendis, quo cæli celſa petamus
Ardua per, dabitur ſcandere poſſe polum.

In idem Argum.

Nube leui fultus patrium conſcendis olympum,
Tot diti ſpolijs hiccine currus erit?
Cur nubem ſumpſiſſe iuuat, volucremq; vaporem?
Non magis apta tibi forte quadriga datur?
Hanc ſumpſiſſe decet. pluuijs mox ignibus orbem
Donabo. hique mei munus amoris erunt.
Quæq; meos nunc ima pedes tenet ardua nubes
Mox orbi, cordis ſparget amica faces.

In idem argum. ad ſuam muſam

Sic ducis mea lenta moras poſt terga camæna
Ardua nec celeres tollis ad aſtra gradus?
Cerne triumphali ſubuectus ad æthera curru
Aſſertor, præda diuite onuſtus eat?

Nem-

Digitized by Google

Nempe nequis, poſt ire ſequax, iam preſſa ſenili
Pondere, & infirmo turpe caduca pede!
Sint tibi ſubſidio metrici de carmine greſſus
Non potes ire tuis; vtere apollineis.

Spiritus Sanctus miſſus igneis linguis.

Forſitan ardentes cœlum conſurgit in iras,
Cum tibi linguarum mittat ab axe faces?
Ignea, non populis miſſa eſt hæc lingua cremandis,
Algida ſed dius pectora vt vrat amor.
Lingua viden volucris ſublimi in vertice ſidit?
Vult arcana poli mentibus ipſa loqui.
Et licet in plures videatur dedita flammas,
Fœdus in ætherium nectere corda flagrat.

Chriſtus Saulum ex equo deijcit.

Quò te, Saule, pedes? me contra prælia tentas?
Inq; meam ſobolem bella cruenta geris?
Vix hæc; cum ſubitus fulgor perſtrinxit euntem.
Lux ſubita atq; oculis abſtulit illa diem.
In præceps deiectus equo ruit. ille ruinam
Poſt hanc, numquam alias, ſtare potis melius,
Clarius obtutu non vnquam vidit acuto,
Quàm cum caligo lumina nocte tegit.
Cœpit & ille vias mage tunc inſiſtere rectas
Erro cum cœcus tendere neſcit iter.
Hunc ſibi dia fides ad votum adſciuit alumnum.
Dum ſibi captum oculis ſenſit adeſſe parem.

Ite maledicti in ignem æternum.

Impia gens hominum cunctis obnoxia culpis,
Omne nefas, veluti quiq; bibiſtis, aquam;
Quos tenuit non vlla memor reuerentia diuum.
Et quibus ætherius luſus olympus erat;
Ludicer & fuerat quibus atrox terror Auerni
Tartareæque domus picta tabella, focus.
Cernite ſupplicium quod veſtris obtigit auſis.
Vſque eritis ſtygio viuus ab igne rogus,
Nec ſpes vlla datur miſeros exire penates
Irrita, quæ pandat limina, clauis erit.

Venite benedicti Patris mei, &c.

Vnde illi eſt, cognata polo, natalis origo.
Inſons accipiat vita beata locum,
Humanas inter dudum tactata procellas
Propitio tangat flamine cymba polum
Irrequieta, malis cunctis exercita virtus
Bellatrix; pugnæ plura trophæa ferat.
Immortale decus, mortales obruat annos.
Ducat in occiduam nubila vita diem.
Hinc dolor, atq; labor, Crux hinc abſiſtere iuſſa.
Iſta tamen faciles, diſce dediſſe vias

Extremum Iudicium in valle Ioſapht

Elatæ frontes hominum capita alta potentum
Huc cito· vos humilis vallis ad ima vocat,
Sopiti dudum cineres; tecta oſſa ſepulcris
Prodite, ad cauſas æra canora cient.

Hac

Hæc decreta dies horrendi examinis, igne
Quo flagrat orbis, erit vita retecta palam.
Non prece, non querula flectetur voce tribunal.
Sopiet haud fletus, quas coquit ira, faces.
Purgandæ hæc cereris decreta eſt area meſſis,
Arentes ſtipulas flamma rogalis edet
Hoc mortale genus ſecura mente reuoluis
Iudicium? puto te mentis habere nihil.

Sol obſcuratus Chriſto moriente.

Te moriente diem noctis texere tenebræ
Defecit medio Solis in axe iubar.
Hæc portenta necis, ſcelerumq; videre recuſat.
Pœnitet, & Solem luce tuliſſe diem.
Ex quo celſa ſuper, natali luce refulſit
Par nunquam aſpexit, conſpicietque nefas
Probra hominum latuiſſe cupit, ne turpe peremptum
Auſo hominum, poſſit fama referre, Deum.

De B. Virgine in templo præſentata.

Templi aditus laxate fores? auguſtius vnquam
Excepere nihil templa verenda Dei.
Trima dicata Deo ſubijt penetralia templi
Inter virgineos addita Virgo choros.
Summa tenet, ſit parua licet, faſtigia, & ante
Quam ſit fata Deo corpore, mente gerit.
Hanc teneant delubra decet quando ipſa Tonantis
Delubrum eſt ſacrius magna futura parens.

Vir-

Virgo Maria Chriſtum. concipiens, & pariens.

Sæcula non vnquam ſimilis miracula partus
Aut dederunt priſca, aut ſecla futura dabunt.
Concipit illæſo Virgo fæcunda pudore.
Illæſo pariter Virgo pudore parit.
Quid miremur apes innuptas gignere? quando
Nupta viro fœtum Virgo pudica dedit?
At qualem dedit illa ſatum! qui limite claudi
Haud potis eſt, ſubijt clauſtra verenda ſinus.
Ales olympiacus tanta hæc miracula firmat
Virgineoſque procul mandat abeſſe metus.
Ingenium? fruſtra exploras miracula. obumbrat
Alta poli virtus; poſcit at vmbra fidem.

Maria Virgo inuiſit Eliſabeht cognatam.

Montanas feſtina vias pia Virgo capeſſe
Cognatum officium fœta repoſcit anus.
Aduentu geminam genitrix dabis vna ſalutem;
Cognatæ ventris pignore, & ore dabis
Conuenient ſpectanda ſimul miracula matrum
Virgo parens ſterili viſcere, Mater anus.
Nec ſua deſtituent matrum miracula fœtus
Iſte dabit ſaltus, diluet ille nefas.
Vaticinam miraris anum, natiq; parentem?
Maximus hic vatum natus habendus erit.

Maria Virgo ritè luſtratur.

Dedecus hoc ſubeas maculoſæ, Virgo, parentis
Quæ nullo humano es ſemine facta parens!
An genitrix Aurora venit luſtranda diei?
Lacteus an candor ſorde leuandus erit?
Virgineum cum matre decus luſtralibus arcet
Officijs. Virgo es lege ſoluta, parens.
Turturis an gemini lacrimoſa voce gementis
Dona feres, fletus pellere nata genis.
Sunt redimenda tuis cæleſtia pignora ſiclis,
Cuius erit pretio pignoris empta ſalus?
Me præit exemplo natus: tulit ille nocentum
Vulnera prima puer, me decet iſta ſequi.

Maria Virgo moriens.

Diua parens. matura polo moritura recumbit.
Mors trepidas retrahit ſanguinolenta manus.
Vnde illi trepidus pauor hiccine? neſcia dulcis
Interitus iaculi vulnera ſæua timet.
Et ſit iuſſa licet, trepidans mandata recuſat.
Eſt anceps, erret forte ſeuera manus.
Quid faciat? ſupplex munus demandat Amori.
Ille leui iaculo dulcia fata dedit,
Talia, mors inquit, ſi ſint mihi fata ferenda,
Iam meus, ante atrox, ludicer horror erit.

Maria Virgo in cœlum aſſumpta.

En regina poli nati ſubnixa lacerto
Expectata diù, carpit ad aſtra vias.

Eius

Eius in occurſum totus ſe effundat olympus
Æthereæ pateant nixæ adamante fores.
Sollicitet non vlla trhoni vos cura, miniſtri
Cælicolæ. ad nati iuſſa ſedere latus.
Regnandiq;illi totas permittit habenas
Hac ‹ pe ſpes hominum maior an eſſe queat ?
Natus vt indulgens tibi ſit prece flecte parentem.
Irrita non vnquam vota parentis erunt.

De Chriſto recens nato.

Naturam, naſcente Deo, decet eſſe ſilentem
Verbum quandò infans edere verba nequit.
Quæ maiora vnquam miracula viderit orbis
Vt quicumque roget, neſcius orbis erit.
Numinis immenſum pondus ſubſtentet ariſta ?
Vt palea æternum fulciat orbis onus ?
Nox nigra naſcenti dederit cunabula ſoli ?
Algeat in media viuida flamma niue ?
In lacrymas abeat gaudentis riſus olympi ?
Ales & in cunis torpeat ignis iners ?
Et miramur adhuc tenuiſſe ſilentia mundum ?
Cuncta ſub infante hoc , indiga vocis erant,

Chriſtus inter ariſtas.

Diue, tuus ſiccas fletus perfundat ariſtas,
Surgat vt in cererem rore rigata ſeges.
Scilicet hac infans qua nunc fulciris ariſta
Veſcum triticea ſub dape Numen eris.

Chri-

Chriſtus noctis tempore natus.

Quantus honos nox atra tuis conceditur vmbris?
Tempore natalem noctis habere diem?
Neue Deus moriens tanto te fraudet honore?
Nox ſubita eſt mediam condere iuſſa diem.

Chriſtus hieme natus,

Naſceris hyberno glacialis tempore brumæ.
Forſitan hanc ingens æſtus amoris amat.
Hinc etiam lacer, & tenuis tibi conſtat amictus.
Ignibus vt clauſis laxa ſit inde via.
Incaſſum tamen iſta paras medicamina flammæ
Vna erit ardenti mors medicina malo.

Chriſtus amiſſus quæritur.

Cognatos inter ſociali, & ſanguine iunctos,
Amiſſum natum quærere mater aues?
Veſtigat, mihi crede parens, ſpes irrita natum;
Affines inter ſi reperire cupit.
Hos etenim fugiſſe, olim iubet ipſe magiſter
Deſtruat an factis tradita verba ſuis?

In idem argum.

Deſertam à nato miraris fortè paretem,
Qua non vlla magis cara reperta parens?
Deſine mirari, damnes nec crimen amoris.
Pro ſolo eſt etenim patre relicta parens.

Diſputat Chriſtus puer inter Doctores.

Doctorum ingenioſa ſenum depone tumorem
Turba; puer vobis iſte ma iſter erit.
Vel puer iſte roget, vel det reſponſa roganti,
Turba minus ſapiens plena pudoris eris.
Nil ſapit elatum, tumidum nil, iſte docendo
Non facit ad veſtros iſta cathedra modos.

Chriſtus moritur.

Viuimus extincto iam Numine? an vmbra, relicta
Quæ ſupereſt nobis vita, ſoporis erit?
Occiduo quæ ſole potis lux orta manere?
Qui vita extincta ſpiritus eſſe queat?
Hæc etiam tibi mira dabit. Mors munera vitæ,
Afferet, æthercam mortis & vmbra diem.

Chriſtus in deſertum ſecedens.

Tartareo certamen atrox ſubiturus ab hoſte
Aſpera ſoliuagus tu loca, diue, petis?
Luce palam partos celebres decet eſſe triumphos
Et poſcit vincens ampla theatra decus.
Ante cibum capiet, quam ſurgat miles in auſa
Sed tua contriuit robora longa fames.
Nempe doces; ſtygius quibus armis ſternitur hoſtis.
Sufficit ingluuies, detrhait arma fames.
Nec pietas victrix ambit ſpectacula; cerni
Nec vult. ſunt illi ſola trophæa ſatis.

Dic

Dic vt lapides iſti panes fiant.

Miles in arma veter ſtygius, pugnaq; peritus,
Opportuna capit tempora vt arma gerat.
Dum te, diue, fames, ieiunia, & aſpera torquent
In cererem, lapides vertere ſuadet amor.
Irrita ſed ceſſit pietas, aſtuſque doloſus
Non datur hac ſola viuere poſſe dape.
Te cibus iſte magis coluber verſute deceret;
Qui prono lingis corpore ſemper humum.

Si Filius Dei es, mitte te deorſum.

In ventos abijt primum certamen Auerni;
Inq; ſuum lapides, diue, ruere caput.
Pergit adhuc conferre manus, malè ſubdolus hoſtis,
Et licet irriſus, bella ſecunda ciet.
Si tuus eſt genitor Deus, hinc te deijce. cætus
Cælituum excipiet, ne pede læſus eas.
An tu, ignaue, potes talis meminiſſe ruinæ?
Quando præcipitem te dedit ille polo?

Hæc omnia tibi dabo ſi cadens, &c.

Bis pugnauit iners; ſed tertia ſurgit in auſa;
Dedecus, vt maius tertia pugna foret.
Ad montis ſublime iugum, celſumq; cacumen
Euehit. vnde orbis ditia regna patent.
Hæc votis indulta tuis ſint omnia regna;
Me modo curuato poplite rite colas.
Siccine deſipias? pulſus de corpore poſcis
In porcis habites. omnia regna dabis.

In

In Chriſti reſurgentis vulnera.

Immortale decus rediuiuum morte ſubacta
Eſt pote funereas mortis habere notas?
Hoſpita pacatus ſpectabit vulnera olympus?
Neſcius atque necis ſigna cruenta polus?
Mutauere vices. abeunt nunc vulnera in aſtra.
Par eſt æthereos aſtra tenere locos.

Chriſtus columnæ alligatus à militibus.

Forte modum pœnis dabit hæc tibi, diue, columna
Atque erit ærumnis hic tibi meta lapis?
At non iſta tuo ſatis eſt data pœna dolori
Et tuus vlterius tendere poſcit amor.
Nec votis obſtare datur. tua membra cylindro
Vincta tenent. illos eſt penes arbitrium.

Cœpit pauere, & tædere.

Horror, & obiectæ vicinæ mortis imago
Tædiaq; & gelidus concutit oſſa pauor.
Corrugat ſubita mœror formidine frontem
Et pallor trepidis inficit ora notis.
Sic pauidis in fronte notis proludis arenæ?
Milite ſic trepido bella gerenda putas?
Intrepidas cogant alij ſubſigna phalanges?
Tu mihi victori conſice bella timor?

San-

Sanguineus ſudor in horto.

Per pluit vbertim toto de corpore ſudor,
Et cruor exiliens irrigat amne ſolum.
Hac prece ſanguinea cæleſtes vindicis iras;
Hac libuit noſtrum mergere, diue, nefas?
Auguror exactas irarum, diue, procellas;
Dum rubet occiduus, detonat axe furor.

Morienti fel propinatur.

Fellea lictoris tibi pocula dextra propinat.
Arentemque cupit felle leuare ſitim.
Ne qua tibi maneat pœnæ pars indiga; linguam
Hoc etiam pœnæ munere ditat Amor.
Fellea libantur modice, ſed pocula labris.
Mox renuunt toto pellere felle ſitim.
Stix caue; quos renuit, permixtos felle liquores,
Pocula ne fuerint, quæ tibi virus alant?

Petræ ſciſſæ ſunt.

Saxa dolor potuit perfringere? ſaxea nullus
Extincto frangat Numine, corda dolor?
Triſtia diſcedunt in mæſtas ſaxa querelas,
Et mærore graui diſſiluiſſe queunt.
Saxea gens, ſaxis mærorem diſce magiſtris,
Te doceant lapides mollius eſſe genus.

Exiuit ſanguis, & aqua.

Icta ſilex quondam Moſæi germinis ictu
Prælargas vena diuite fudit aquas,

In latus inflicto ſæuit dum vulnere mucro,
Sanguineo miſtus defluit amne latex.
An mage mira putes quod ſaxea viſcera fontes,
Quam fontes ferri cuſpide mucro dedit?
Largius hic ſaltem munus. ſola effluit vnda
Ex ſilice. ex latere hoc lympha refuſa mero.

Chriſti crux arbor.

Arboris hanc captes vmbram peregrine viator,
Dum tibi molitur fæda cupido faces.
Sit folijs ſpoliata licet, ſitq; arida trunco,
Tutior vmbroſo eſt tegmine nulla magis.
Indiga nec fructus quocumq; eſt tempore. bruma
Siue riget gelida, ſole vel ardet humus.
Quod mirere magis; licet illam felleus humor
Irriget, vſque tibi mitia poma dabit.

Chriſti crux Moſaica virga ſuperior.

Quis mihi nunc referat celebris miracula virgæ
Quæ pharij domuit ferrea corda ducis.
Illa licet ſciſſo ſuſpenderit æquore fluctus,
Et dederit ſiccum per maris æquor iter;
Illius ad nutum merſi licet æquore currus,
Obruta ſint quamuis agmina cuncta ſolo.
Nam quid commemorē tenebroſos æthere nimbos?
Quid fædas Nili ſanguine mirer aquas?
Excitas cinyphum turmas, culicūq; phalanges
Iactet, & à phario libera colla iugo?
Sunt crucis imperio, cuncta hæc vmbraq; peracta
Tam potis vmbra fuit? quam mage crux fuerit?

Chriſti crux nauis.

Cernis ſanguineum pœnarum vectus in altum,
Vt trabe quadrifida nauita findat aquas.
Horrida tempeſtas odiorum concita nimbo
Sæua fremit rabido, fœta furore tonat,
Tempeſtas ſit ſæua licet, nil territus alnum
Suſtinet, & fixa firmat vtraque manu.
Nempe nihil refert vnum premat vnda magiſtrum
Alnus erit ſoſpes: ſoſpes & orbis erit.

Chriſti crux pharmacum contra turpia.

Si qua cupidinea deflagrent pectora flamma,
Et ſi cui Veneris corda calore flagrent;
Arida ſupponat flagranti hæc germina cordi.
Vna hæc ſicca queunt perdere ligna faces,

Chriſti crux in dœmones Telum.

Ne tibi ſanguineo victor iam plaude triumpho,
Neue triumphali Tartare plaude ſono.
Hac trabe conflari deflebis tela cruenta?
Sentiet inde tuum ſpicula ſæua caput,
Arbor in inſidias olim, laqueoſq; parata eſt?
Hæc tibi nunc arbor, penſile funus erit.

Si oporteat memori tecum non te negabo.

Grandia magniloquus promittis verba magiſtro
Et vitam mage, quam deſeruiſſe fidem.
Pollicitis ſtat nulla fides. ter lingua fefellit.
Ter data magniloquè, ter temerata fides.
Grandiloquis diſcas multum ne fidere verbis.
Nil valet ille manu, qui nimis ore valet.

De eodem. non noui hominem.

Tam ſubitò ignotus? quæ tanta obliuia mentem
Abripiunt? quæ animum denſior vmbra tegit?
Tu modò grandiloquè vitam obiectare periclis
Dura per atq; audes vulnera ferre necem,
Nunc trepidas. notuſq; receſſit mente magiſter,
Oraq; ſunt oculis nunc peregrina tuis?
Nempe oculis merito peregrini ſunt modo vultus,
Quos peregrè ex animo fecerat eſſe pauor.

In ſiti mea potauerunt me aceto.

Fel mihi propinas ſitienti, & pocula aceti,
Eſt tua ſicca meo ſanguine pota ſitis.
Pocula miſcet amor meus, atq; in corde propinat,
Propinatq; mihi ſæua cupido necis.
Pocula diſſimiles quales habuere miniſtros?
Nam tua liuor edax, & mea miſcet Amor.

Ad Solis echlyſim Dionyſius Areopagita noua ediſcit Arcana.

Condiderat nox atra diem, refuguſq; ſub vmbras
Abditus, in nigro ſyrmate Phœbus erat.
Sole ſub extincto melior lux indita menti eſt.
In tenebris acuit lumina, cæca fides.
Nulla dies iſtis vnquam par fulſerit vmbris;
Semper in occiduos hæc dabit vmbra dies.

Bonus latro, malo latroni, & tu in eadem damnatione es.

Impia ſacrilegè iactat conuicia lingua
E Cruce qui medio latro ſiniſter erat.
Increpat hunc dictis, melior ſua crimina faſſus
Qui medio felix è cruce dexter erat.
Extremam vitij tenuit qui marginis oram
Virtutis mediam cæpit inire viam.

De bono latrone.

Vtra placent latro tibi, crux an grandia furta
Prompta quibus toties eſt temerata manus.
Furta Crucem dederunt tibi;crux dedit ardua regnũ,
Inque pares abeunt dona repenſa vices.
Cælica tam cito non ea crux tibi regna dediſset.
Ni prius hanc dederint grandia furta crucem

Digitized by Google

De eodem.

Conſuetas ad furta manus nunc vincla retardant.
Vincla ligant celeres ad noua furta pedes.
Latro tamen priſcum neſcit dediſcere morem,
Innocua à furtis fata ſubire negat.
Quid faciat moriens? vna eſt quæ libera lingua
Vinclis, voce potens, cælica regna rapit.

De Chriſti ſepulcro.

Huic tumulo inſcriptum titulum, ne quære viator.
Non vllum tanti nominis vrna capit.
Quem tenuit tumulus, victor nunc morte ſubacta
Ad vitam rediјt neſcius vſque mori
Marmoreo non vlla eſt vis illata ſepulcro
Exiјt infracto marmore vita redux.
Hanc caue ne cinerum, vt reliquas, inſcripſeris vrnã
Vnius hæc fletus dicier vrna poteſt.

De eodem ſepulcro.

Quo thracum ſubiecta iugo tandem vſq; manebit.
Quæ ſtygium nobis abſtulit vrna iugum?
Hac mortale genus vitam nanciſcitur vrna
Hic fuit ærumnis vltima metalapis
O veſtras illuc vires conuertite Reges?
Illuc belligeri prælia ferte duces?
Hæc cos exacuat vires, hæc ſuſcitet ignes
Icta ſilex. facilis per freta curſus erit.

Mul-

Multa viret circa tumulum quæ germine palma
Deſtinat ad veſtrum ſerta verenda caput.
Threïciæ fruſtra terrebunt cornua Lunæ.
Eſt mage; quæ ſolem condidit, vrna potens.

De ſacra Syndone.

Hæc dolor impreſſit dij monumenta cruoris.
Hanc dio telam ſanguine pinxit Amor.
An tibi grata magis fuerint monumenta relicta
Quæ teſtata ſuo tela cruore refert?
Non ſecus vmbrifera cum ſol ſe nube figurat
Effigiem ſolis dat ſibi nube parem.
Sic dius ſe nube tegens ſol Syndonis. vltro
Occidui ſolis ſigna cruenta refert.
Eſt tamen illa fugax extincto ſole figura,
Iſta ſed extincto ſole perennis erit.

De eadem ſacra Syndone.

Non labor æternus talem pinxiſſet Apellis
Effigiem, qualem tela cruenta refert.
Sanguineis expreſſa notis hic viuit imago
Numinis extincti, ſæcla nec vlla terent.
Argueris mortale genus, quòd ſigna cruenta
Sint memori in tela, mens tibi nulla memor?
Diue, tuum moriens geminaſti pignus amoris
Eſſe tui memores, munera bina monent.
Sub dape triticea, viuum te, diue relinquis;
Mors tua ne deſit, viuit Imago necis.

Chriſtus Crucem baiulans.

Hæc humeris tibi regna dolor, bone diue, reponit,
Hæc humeris eadem regna reponit Amor.
Certat Amor, certatq; dolor, fuit vtra poteſtas
Maior, & in regnum iura ſuprema magis.
Iudicij ſed victor Amor, litiſq; recedit.
Nil dolor auderet, ni voluiſſet Amor.

Mulier amicta ſole de B. Virgine.

In nitidum ſolare iubar conceſſit amictum,
Biſſeno cingunt ſidere ſerta caput.
Sub pede virgineo Lunato Cinthia cornu
Preſſa iacens maculis ſubditur ipſa ſuis,
Luna, quòd ima locum teneas, fortaſſe dolebis?
An non cuncta etiam deſuper aſtra tenes.

Sitio.

Dius Amor moriens implorat vocibus hauſtum,
Et cupit arentem fonte leuare ſitim.
Quis properet gelidæ morienti pocula lymphæ?
Et leuet ardenti ſicca quis ora ſiti?
Eſte procul latices. non hæc ſitis amne leuanda eſt;
Quæ fluit ex oculis aptior vnda foret.

Exiuit ſanguis, & aqua.

Sanguineis immixta notis, corde exilit vnda
Immixtus latici purpurat amne cruor.

Quod

Quod ſibi Lympha ferit roſeo cum Sanguine fædus?
Fœdera cum lympha, quæ ſibi Sanguis amat?
In caput hoc Erebi fædus ſancitur amoris.
Exitium ſceleri ſancit vterq; liquor.
Primæuo ſceleri felix dabit vnda lauacrum.
Caſta pudicitiæ pocula, Sanguis erunt.

Inter duos Latrones moritur.

Diue, cruces inter medius, fureſq; nocentes
Occidis, hæc ſtipat peſſima turba latus?
Qui medius moreris, nullius criminis auctor.
Nulla, qui cingunt ilia, labe vacant.
Iure ſibi extremum, tum grandia crimina poſcunt;
Nam medium Virtus occupat vna locum.

Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.

Infandum teſtata nefas natura, tenebris
Obduxit medio Solis in axe iubar.
Indoluit nox ipſa; ſuos nec Luna nitores;
Lucida, nec radios aſtra dedere ſuos.
Sic obeas ſuperum Rector! tua funera, luce
Solis, & aſtrorum mæſta carere queant?
Extincto, radiant fulgentia ſidera, Sole?
Accendit mæſtas lugubris æthra faces!
An renuis mæſtæ tibi debita munera lucis
Ne ſimiles habeant ortus, & vrna vices?
Nox tibi naſcenti, ſidus ſuccendit eoum;
Et triplici viſus Sole nitere polus.
Nulla tibi occiduo fax cæli accenditur, & Sol
Obducto mediam condidit Orbe diem.

Lan-

Lancea latus eius aperuit.

Pectus in arcanum moliris cuſpidis ictum
Lictor, & inſuetas quæris adire vias.
Quid latebras ferro tentas? an contegat iras
Noſſe cupis? num cor vindicis arma gerat?
Tales tolle metus. Sancitur Sanguine fœdus.
Irarum cunctas diluit vnda faces.

Petrus Sequebatur à longe.

Sic tua dextra celer famuli modo diſcidit aurem;
Et nunc poſt Dominum pes tibi lentus eat?
Tunc animos ſuffecit Amor, roburq; valeſcens;
At tibi nunc robur ſuſtulit omne Timor.

Chriſtum negat.

Pes vbi fallaci, & peregrinæ creditur aulæ
Ignotum didicit perfida lingua nefas.
O ſcelus; ò fœdè trepidæ periuria linguæ?
O ter polluta perfida verba fide?
Conſcia mens ceſſat crimen purgare nefandum?
Et ceſſant oculi fonte piare nefas?
Ad cor vt redeas facilis via panditur, exi
Hoc limen; cordis iam ſubit ima dolor.

Ad ignem ſe calefaciebat.

Ignea, quæ fuerant diuinis pectora flammis,
Ignibus admotis obriguere gelu?
Petre tibi quando prope flammas, flamma refrixit.
Ad Solem redeas, indè calere potes.

Gal-

Galli cantu ad pœnitentiam excitatur.

Impia periuram fœdarunt crimina linguam.
Nox diam mentis texit opaca diem?
Prome iubar Sol diue tuum, reduceſque nitores.
Nox trepidam carpet protinus atra fugam.
Auguror exactas tenebras. Nam præſcia Solis
Iam reducem Solem nuntia cantat auis.

Clamans voce magna expirauit.

Excipe terrificæ morientis grandia vocis
Murmura, & horrendos ore tonante ſonos.
Exciri cineres tam grandi voce Sepultos,
Corpora, & è buſtis tacta pauore vides.
Hoc etiam Mors ipſa ſono tremefacta reuixet.
Si poſſent, vitæ munere, fata frui.

Diſcipuli in mare iactati.
Domine ſalua nos, perimus.

Puppe ſedens rector, placidi per marmora ponti,
Diue, regis paruam tutus ab amne ratem.
Intereà molli concedis membra ſopori.
Et vigiles oculos occupat alta quies.
Protinus excitæ reſonant per inane procellæ.
Concita & elatis fluctibus vnda tumet.
Turba pauens clamore ciet, tu, diue, periclis
Eripe. nos pelago præda voranda damur.
Corripis ipſe fidem modicam, mox nutibus æquor
Arguis, attonitis fluctibus vnda ſilet.
Quam benè ab effuſo, diue, eſt tibi nomen oliuo.
Hoc ſuper iniecto detumet ira Sali.

Pro-

Propketiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit.

Tegmine ludicro velat gens impia vultus:
Et ſacra ſacrilegis ictibus ora quatit.
Exprobrat, atque rogat; diuines verbera, vates
Quis dederit? facies quà modo tunſa manu?
Diue tamen gaudes obnubi tegmine vultum,
Ne aſpicias ſæuæ verbera dira manus.
Has tibi iuſſit amor leges; vt verbera cæcus
Excipias, vigili lumine dona feras.

De eodem reſurgente.

Qualiter occiduus, noctis tumulatus ab vmbris,
Mane, reſurgenti lumine, Phœbe redis;
Numinis haud aliter, ferali cæde ſepulta
Surgit ab infracto Marmore, vita redux.
Conditio non æqua tamen, moriture reſurgis
Phœbe; ſed occiduam neſciet illa diem.

De Chriſti Sepulcro.

Hoc caue, vel buſtum, cinerum vel dixeris vrnam?
Quilibet exilio plectitur inde cinis.
Vitalis potius nomen concede Sepulcri
Vitæ etenim lucis præbet habere diem.
Æmula virgineum referunt hæc marmora partum:
Infracto dederunt exiluiſſe ſinu.

Chriſtus in Cœlum aſcendens.

Quo te, diue, rapis conſcenſa nube? relinquis
Nos hic tam miſeros, parta trophæa ferens?
Nos etiam, capta præda, numeremur in iſta!
Euehe, ſin liceat corpora, corda polo.
Maior erit ſpecies, & gloria parta triumphi,
Quo fuerit maior præda ſequuta ducem.
Nempe dabis, te, diue, ſequi cùm funus obimus!
Mors captiua venit, nectet & illa moras.

In idem argumentum.

Calcata iam morte, redux petit aſtra triumphans;
Atque Erebi domitor clara trophæa refert.
Nubis in obſequium, pedibus ſuppoſta quadriga eſt.
Et Ventus penna præpete præbet equos.
Quæ fuerat probro, crux eſt geſtamen honoris.
In quino radians vulnere, victor ouat.
Cælicolæ laxate fores ſublimis Olympi.
Pro reducis ſpoliis eſt nimis arcta via?
Sed quæ mæſta ſonos lætos, & gaudia turbat
Vox? Erebus queritùr, morſque ſubacta gemit.

Spiritus Sanctus è cœlo miſſus.

Quis fragor æthereo reſonat demiſſus olympo,
Atque procelloſo turbine cuncta ciet?
Ignea quæ in plures volitans fax diſſita linguas
Quolibet innocua in vertice ſecta ſedet?
Hoccine nempè venit promiſſum munus ab alto.
Eſt rata ſcandenti Numini ad aſtra fides.

Con-

Congrua dona parat. Verbum quæ munera mittat?
Queis valeant, linguas ora ſoluta loqui.
Tende libens iam dia Fides tua carbaſa, longe
Vt rate prætereas aura ſecunda fauet.
Hic tibi, Petre, fauet magis ignis, quam prope flãmam
Deſeruiſti olim, hoc aſſeris igne fidem.

Exiuit ſanguis, & aqua.

Infixus lateri mucro poſt fata, cruorem
Elicuit; puro fluxit & amne latex.
Sanguineo cum rore noua hæc cognatio lymphæ
Vnde orta, & mirum fædus amicitiæ!
Eſſe ſuper nullas ardentes pectoris iras
Vt videas, gelido friget ab amne Cruor.

De Chriſti Cruce.

Mortis eras olim pia Crux lethale feretrum;
Soſpita nunc vitæ diceris eſſe parens.
Conditio diſpar geminæ fuit arboris, illa
Dicta parens vitæ, funus in orbe fuit.
Tu licet immeritæ mortis ſis dicta miniſtra,
Diceris emeritam ferre ſalutis opem.

Sol obſcuratus eſt in Chriſti morte.

Te moriente, iubar medio Sol condidit axe.
Triſtis, & attonitam ſuſtulit vmbra diem.
Hoc tantum ſpectare nefas Natura nequiuit.
Hinc Mundi iuſſum lumen in orbe tegi.
Impia gens hominum potis es patrare, quod órbis,
Horrendum refugit cernere poſſe nefas!

Bo-

Bonus latro.
Domine memento mei.

Ne te, Diue, mei capiant obliuia, regno
Protinus hinc abiens: dum potiere tuo.
Nil trepides, inquit, mecum potieris olympo
Ante iſtam, propior qua tegat vmbra diem.
Promiſſis ſtat firma fides; ſpem concipe votis.
E Cruce ſic latà; nil tę polus altus abeſt.

De Chriſto Cruci affixo.

Te hic, vbi, Diue, neci gens impia tradidit, olim
Oſſa parentis Adæ condita, fama refert.
Molis vt arboreæ ſenſit telluris in imum
Ire trabem, exilijt lætior inde cinis.
Arboris in ramos, mea cum ſe dextra tetendit,
Inquit; in exitium, tunc mea tenſa manus.
Hoc tua quadrifido tendis dum brachia trunco
Exitium pellis, quod mea dextra tulit.

In Chriſti Sepulcrum.

Illa dies aderit quando, vt venerabilis vrna,
Sub thracum indigno deſinat eſſe iugo?
Hoſpita, quæ noſtri fuit olim vindicis, illa
(Proh pudor) imperijs ſubſit inulta diu?
O hebetes animos Regum, ferrumque retuſum!
Exacuat tandem funebris ille lapis.
Immortalis honos aſſerta ſurget ab Vrna,
Marmoreiſque notis fama perennis erit.

De S. Petro.
Non noui hominem.

Te nouiſſe negas hominem falſo ore, rogatus ?
Non tibi, ſi noſſes, perfida lingua foret.

Reſpexit Chriſtus Petrum.

Nil trepides, vinctum cernas quòd, Petre, Magiſtrũ.
Lumina, quæ abſoluant, bina ſoluta gerit.

Arundo.

Hoc leue, Diue, tibi ſceptri eſt geſtamen; arundo ?
Eſt bene. Subiectos ſceptra grauare, nefas ?

Multa corpora Sanctorum ſurrexerunt.

Te moriente ſuis ſurgunt defuncta ſepulcris
Corpora, quæ poterit cauſa ſubeſſe fugæ ?
Mortis erat forſan trepidus pauor ? ipſa peremit
Vitam ; nunc Vitæ vindicis arma timet ?
Verius ipſa ſuis, credam, ceſſiſſe ſepulcris ;
Conſcia ne fuerint viſa fuiſſe necis.

Pater ignoſce illis.

Æternum, quid, nate, rogas moriture, parentem ?
Hoſtibus, indulgens, parcat vt ille tuis.
Ingenium, quod mite gerat, diſce, vltor inique !
Nil quoque poſt fellis pocula, fellis habet.

Ho-

Hodie mecum eris in Paradiſo.

Ne, latro, ſanguineà trepides iactare procella:
Hac hodie mecum nam trabe ſoſpes eris.

Vnus militum lancea latus eius aperuit.

Miles in extinctum ſæuis mucrone ? peremptus
Mitior eſt tecum. Lumina reſtituit.

Dęmon Chriſto.
Si Filius Dei es mitte te deorſum.

Hoc te præcipitem ſublimi è culmine montis
Quin das, ſi patrem dicis habere Deum ?
Noxia quæ fuerit, nullam patiere ruinam;
Et lapide haud vllo pes tibi læſus erit.
Cælituum pernix aderit nam protinus agmen.
Supponetque ſuas cælica turba manus.
Et potes, infelix, tales memorare ruinas
Præcipitem quando tartara cæca tenent?

Et cum guſtaſſet noluit bibere.

Fellea propinant ſitienti pocula Myrrhæ
Diue tibi libas, illa bibiſſe, negas.
Hoc ego non capior, non me hic delectat amaror.
Qui fluit ex oculis, dulcis amaror erit.

An tu ſu[illegible]ſtuliſti Dominum meum.
Agricolæ in ſpeciem rediuiui Numinis ora
Cernere dia tibi Magdali mæſta datur.

Sunt ignota tamen priſcæ veſtigia formæ.
Quæris, & vt latro corpus an ipſe tulit;
Et ſimul, vt Dominum compellas? Magdala quantum
Immemoremque dolor reddit, & acer amor.
Mente Magis recolas, hic non eſt latro putandus.
Sed qui latrones ad ſua regna vocat.

Iudas
Poterat vnguentum iſtud venundari.

Fur caput vnguento perfundi ſuſtinet ægrè;
Ne ſibi quod rapiat perdat auara manus.

S.Berenice Chriſti Sanguineum
vultum tergit.

Terge libens Dio rorantem Sanguine vultum.
Expreſſus lini in ſtamine vultus erit.
Et pietatis opus delebit nulla vetuſtas
Manſuris referent ora cruenta notis.

Iudæ ſuſpendium.

Arboris è trunco ſtatuis tibi penſile funus.
Forſitan vt memores cæpimus vnde Mori?

In Deiparam ab omni labe puriſſimam.

Sub pedibus lunare iubar tibi, Virgo, refulget.
Et tua Sidereus tempora cingit honos.
Eſſe caput ſupra minimis conceditur aſtris,
Vix conceſſa tuas luna ſubire pedes?

Quid

Quid meruere magis nocturna nitoribus aſtra?
Lumina quid lunæ demeruere minus?
Cinthia luce nites Maculoſa; neſcia Virgo
Eſt Maculæ. Meritò ſub pede luna iaces.

De eadem.

Cum vità concepta lues natiua parentum eſt;
Noſtra nec ex oculis diluit, vnda nefas.
Naſcimur ad lacrymas; genitæ nec femina Flammæ
Linquimus, ingenitus Fomes, & ignis adeſt.
Non te diua parens hic vſſit flammeus ardor.
Fomes erat nullus qui foret eſca faci.

De eadem.

Ante fores vitæ ſtygius ſtat peruigil anguis
Vt ſua conceptæ ſueta venena vomat.
Anguineo ſed dente minax dum vulnera tentat
Quæ dare conatur vulnera ſæua, tulit.
Semineces videò ſpiras, caudamque minantem.
Obtritum colubri ſic decet eſſe caput.

De ortu Virginis Deiparæ.

Quæ ſolem genitura parens, Aurora refulget;
Et lux orta nitet, quæ dabit vna diem.
Non lacrymas hic ortus habet, non ora querelas
Hic nullus generis nubilus horror adeſt.
Dona pudor tenuit materni candida lactis,
Purior in caſto pectore candor erat.
Et pudet infantis tenuiſſe ſilentia linguam;
Cui dabitur Verbum gignere poſſe parens.

Hunc ortum vt celebres nihil eſt quòd fama labores?
Quod gignet Verbum, præco futurus erit.

In templo Siſtitur.

Maternos oblita lares, oblita paternos
Virgo libens, ductu cęlite, templa ſubis.
Quos monſtrant delubra gradus in limine primo
Ardua, ſcandis amans, nec remorantur iter.
Arduus an templi aſcenſus remoretur euntem
Quæ facili ſcandis præpete mente polum?
Multiplices alſere faces, & lampadis ignes
Dum ſenſere tuas templa verenda faces.
Ara ſibi nullum templi depoſcit honorem.
Eſt in te verſus cultus, & omnis honor.
Virginitas iam vota Deo ſpes euehe. Virgo
Quæ præit, innumeris vna recludet iter.

Signum magnum in Cœlo, in conceptionem Virginis.

Virgo nites fuluo circumdata Solis amictu,
Luna ſubeſt plantis, & caput aſtra tenent.
His cum luminibus potis eſt nox atra coire?
Annuis, & mentem luce carere putem?

De eadem Deipara ſine labe concepta.

Auroræ nomen tribuunt tibi præſcia vatum
Oracla; & Lunæ nomen habere volunt.
Iudicat Auroram tenebroſam lumine caſſus?
Oblatrat Lunæ, dic mihi nonne Canis.

Vir-

Virgo.
Ipſa conteret caput tuum.

Iure caput, coluber, tibi Virgo conteret vltrix,
Quando hominum primum triueris ipſe caput.

In Iudam.
Poterat vnguentum iſtud venundari.

Ægrius vnguento perfundi tempora odoro
Suſtinet, & tacitum murmur ab ore ſonat.
Si venale foret, miſeris ſuccurrere egenis
Poſſet, & emeritam ferre ſalutis opem.
Ardor auare, dolis quantum ſapis! indiga egeſtas
Protegitur lingua; mente rapina latet.
Neſcis, auara nimis, quantum nocitura cupido eſt;
Illius ad votum penſile funus eris.

Mater ecce Filius tuus.

Me tibi, diua parens, rapiet Mors flebilis; huius
Poſt mea, dum viues, funera, mater eris.
Alma parens, inquit; ſuper ille recumbere pectus,
Nate tuum potuit; cor & habere meum.

De ſtella quæ Magos duxit.
Noctis honor, cælique decus, dux fida viarum
Stella, peregrinum, quæ noua pandis iter
Non ego crediderim nigræ te noctis alumnam
Qui præit Auroram phoſphoron eſſe putem.
Quæ nox aſtra parit, fugiant commercia Solis.
Stella ſed hæc nati fædera Solis amat.

De eadem ſtella.

Hanc caue funereum tu dixeris igne comæten,
Quæ præit auroræ lucida Stella duces.
Indicat ille neces, & triſtia funera Regum.
Natalem Regis nunciat iſta diem.

Ad Magos.

Sideris in radios conuertite lumina Reges.
Sidus inoffenſa vos dabit ire via.
Aſtra alios doceant Solis, Lunæquc labores.
Hæc ortum Solis quærere Stella docet.
Si vos cura tenet, quæ Sol *nunc ſigna pererret?*
Cernite, virgineam Sol *habet iſte domum.*
Vos duce quam vario redeuntes cernet Eous?
Sidus in aduentu, Sol erit in reditu.

Mater ad Filium.
Vinum non habent.

Cura memor ſit, nate, tibi conuiua lyæo
Iam caret; ad votum ſuffice, nate, merum.
Dura parens quamuis Nati reſponſa tuliſſet,
Sunt famuli, iuſſi iuſſa verenda ſequi.
Afferri vndarum plenas iubet ille metretas.
Protinus in roſeum vertitur vnda merum.
Diua parens ſecum, an vobis neget ille lyæum,
Qui dator effuſi ſponte cruoris erit?

Cæ-

Cæco nato viſum reſtituit.

Dat tibi prima dies natales luminis ortus;
Et tua naſcentis lumina luce carent.
Aſt oculis obducta tuis felicior vmbra eſt,
Quàm ſi centeno lumine clarus eas.
Oblinit inſperſo Numen tua lumina limo;
Eſtque oculis cæcis facta repente ſalus.
Ante oculos natale lutum fac ſemper oberret
Gens hominum, inde tibi lux adaperta venit.

Inclinato capite emiſit Spiritum.

Auerſum ne, terra, Deum nece crede peremptum.
Extremùm moriens flectit ad ima caput.
Quin etiam vitæ melioris concipe votum.
Illius in te etenim ſpiritus vrget iter.
Neue putes tribuiſſe ſemel ſpiracula vitæ,
Flaminis hoc iterum munere vita datur.

De filio viduæ.
Adoleſcens tibi dico ſurge.

Ah mors dura nimis, miſeram viduare parentem
Es potis, & nato ferre ſeuera necem?
Matris hic vnus amor, Matris ſolamen & vnum,
Et Matris miſeræ natus hic vnus erat,
Florida pubertas lætis adoleuerat annis.
Et roſeo miſtus murice candor erat.
Duritiem fregere tuam tamen ora rogantis
Matris, & in fletu ſupplice vota Deo.
Nam tu, diue, iubes famulos poſuiſſe feretrum
Et celerem ad tumulum corripuiſſe gradum.

Nec mora, funus iners iuſſum prodire feretro,
Prodijt, & vacuo mors dolet in feretro.
O quantus mortem tenuit pudor, hæccine mortis
Sunt coram, in media furta reperta via.

Chriſti infantis in Ægytum fuga.

Herodis furiale nefas iam cæde cruenta
Sæuit in infantes; carpe ſalutis iter.
Ægypti te terra manet, condere latebris
Niliacis; donec iuſſerit ire polus.
Excipe terra libens venientem; conde fugacem.
Vana Iouis non hæc, numina terra teget.
Infantem teget illa Deum, quæ dona reponet,
Scire cupis? tellus hoſpita facta Dei es:
Hinc deſerta bouis tibi Numina, cultus & Apis
Nullus erit. Nili tergitur omne nefas.
Ardua pyramidum tollent miracula culmen.
Numina vana diu culta, ruina premet.
Horror te nullus tenebrarum territet, olim
Vt fuit, ætherei lumina Solis habes.
Horrea laxentur capiendis frugibus, alter
Ioſeph, frumenti dona beata feret.
Et tua vaniloqua ediſcent ſimulacra ſilere,
Hoc Verbo coram, nam pudet illa loqui.

Oſculo filium hominis tradis.

Hæccine ficta meis veniens des oſcula labris?
Impia vipereis oſcula fæta dolis.
Proditione notam fæda corrumpis amicam,
Pacis & officijs bella nefanda geris.

Fert

Fert odium ſimulatus amor; tuque ore ſalutem,
Sed mage cerno meam corde fouere necem.
O qualis te pæna manet, mercator auare?
Empta tibi hoc pretio, crux erit, & laqueus.

Pater ignoſce illis.

Parce, parens, miſero populoque ignoſce nocenti.
Ignauum hoc hominum videris eſſe genus.
Hanc mea nex cauſam ſibi vendicat ore patrono.
Vt parcas morior, durus an vltor eris?

Vocatum eſt nomen eius Ieſu.

Indita ſunt puero quam dulcia nomina, nullus
Eſt hoc, byblæus dulcior amne liquor.
Quod mirere Magis rigido eſt genitore creatum
Nomen; & à durà cuſpide molle ſapit.
Balſama non aliter gignuntur cortice cæſo
Non aliter cæſo cortice manna fluit.
Diue puer, merito tibi fecit nomen oliuum.
Aſpera ſæpe oleum gignere ſaxa ſolent.

De Syndone.

Cerne probrũ, Mors victa, tuum; ſpolia ampla relicta
Rubra, triumphatæ ſunt Monumenta Necis.
Victores alij ſecum ſpolia ampla reportant.
Iſta, tuum in probrum (Mors fateare) manent.

Nomen Ieſus præſidium contra hoſtes.

Sume animos, trepidumque abigas de corde pauorẽ,
Qui ſtygias trepidas ferre vel ore minas.

Non

Non opus vt vincas, validas armare cohortes:
Nec ſub belligeros cogere ſigna duces.
Flabilis vna tibi vox huius Nominis, arma
Sufficit: atque hoſtes vertere terga dabit.
Dextra alijs peperit celebres operoſa triumphos;
Hos munita tibi hoc nomine lingua dabit.

Chriſti ſudor ſanguineus.

Cum non vlla tuos adigat ſe cuſpis in artus,
Vnde tibi pluuio membra cruore madent?
Mæror an hanc nubem, vicinæ aut mortis imago
Subſtulit, inque imbres ire coegit Amor?
An magis, ipſe dolor tectum mucronis acumen
Diue, tui in latebras pectoris ire dedit?
Sanguineam ſibi poſcet Amor, dolor ipſe repoſcet
Palmam hanc. lite vacent. detur vtrique decus.

Ieſu nomen crucis faſtigio præfixum.

Cerne caput ſupra poſitum venerabile nomen?
Hunc decuit, tantum Nomen habere, locum:
Alta petit, celſæque Crucis ſibi culmina poſcit.
Vnde ſibi victor ſubdita regna videt.
Parta canant alij magnis ſibi regna ruinis.
Nominis hoc decus eſt, ſoſpita regna dare.
Impoſuiſſe iugum victis cumulabit honores.
Exemiſſe iugo eſt Nominis huius, honos.

Puer Ieſus lignariam artem exercet.

Fabrilis qui, diue, labor tua brachia verſat,
Erudit ad teneras grandia ligna manus.

Nunc

Nunc iuuat arboreos in fragmina cædere truncos,
Et varijs ſectos compoſuiſſe modis.
Sed quæ nunc facili pertractas robora dextra;
Mox tua difficili ſub trabe membra terent.
Quæque dolas varijs ſylueſtria ligna figuris,
Component trifidam turpè dolata crucem.
Regna tamen Crux iſta dabit, trabs iſta ruinam
Eſt fulcire potis; clauus vterque tenet.

Chriſtus à Pilato ad Herodem mittitur.

Diue, te ad Hærodem mittit romana poteſtas
Conſtet vt à proprio iudice cauſa necis.
Excepitque libens; miracula forte patrares.
Plura rogat, mutus reddere verba negas.
Ille velut ſtultum niueo circundat amictu.
Et ſpretus vano numine miſſus abis.
Diue tibi, Herodum eſt genus execrabile, cædem
Intentat genitor, natus & opprobrium.

Hærodes remiſit ad Pilatum.

Ardet vterque odijs inimicis, fædus amicum
Eſt tua pernicies conciliare potis.
Quanta eſt Ambitio in cunctos tua ſæua poteſtas!
Diſſidium vincis, perdere vt ipſa queas.

Vnus militum lancea latus eius aperuit.

Pænarum tibi, diue ſatis, dum vita manebat,
Non fuit; ardor adhuc poſt tua fata viget;
Hunc explere cupis: miles, quid vota moraris!
Extincti aptata cuſpide fige latus.

Ob-

Obſequitur miles, cordiſque arcana recludit.
Temperat exiliens ſanguis, & vnda ſitim.

In idem argumentum.

Lumine captus eras, ſi vera eſt fama, ſatelles
Auſus qui lateri vulnera ferre Dei.
Miles, an eſſe queat ferientis certior ictus;
Si tibi figenti lumina bina forent?
Pectoris in latebras eſt cæcum vulnus apertum.
Sed te oculos cæcum vulnus habere dedit.
Sit tua quam felix, videas, fortuna, ſatelles.
Sole ſub extincto, lux adaperta tibi eſt.

Mors mortua Chriſti morte.

Soluamus Morti funebria iuſta peremptæ,
Auſa inferre necem, traditur ipſa neci.
Inſcia mors fuerat, quo cum certamen iniret;
Cæde ſua didicit, pænituiſſe cupit.
Eſſe fidem dictis ne quis fortaſſe negaret
Funera de tumulis, hanc, rediuiua probant.

Chriſtus Cruci affixus.

A populo vt Moſes cæleſtem auerteret iram,
Tendebat fletu ſupplice ad aſtra manus.
Neue fatigatas illas demitteret, altam
Frater aaroniam ſufficiebat opem.
Non tibi tendenti ad Patrem, totieſque precanti
Eſt opus vt virtus fulciat vlla manus.
Auxilium Crux vna feret; quæ brachia tendens,
Officium ſupplex ſemper adeſſe dabit.

In

In Chriſti morte terra tremuit.

Excute terra nefas, trepido concuſſa pauore,
Conſcia ſacrilegæ, ne videare necis.
Ima dolor quatiat rupta compage fatiſce.
In querulos abeant ſaxa adaperta ſonos.
Sint tremitus imum teſtantia ſigna dolorem.
Hæſerunt ſi quæ crimina, quaſſa ruent.

Reuertebantur percutientes pectora ſua.

Fundere diuinum nuper gens auſa cruorem
Barbara; nunc mæſtum tundere pectus amat.
Quam veſtri coluere patres, Ægyptia tellus,
Nempe pares vobis, educat vna, feras.
Mæſti defletis, cui nuper fata dediſtis.
Ingenium hoc, illis dicitur eſſe feris.

Et velum templi ſciſſum eſt.

O adyta, & dij ſacrum penetrale receſſus,
Veſtra etiam potuit templa ferire dolor?
Triſtia ſcinduntur ſacri velamina templi.
Et rupto arcano Syrmate cuncta patent.
O quæ mira vides. Cæli templa alta tenebris
Tecta latent; templi vela recluſa patent.
Nempè monent; arcana poli, quæ tecta latebant,
Cæde Dei, nullo tegmine viſa tegi.

Titulus Cruci inſcriptus Ieſus, &c.

In Crucis inſcriptum titulum tibi nominis, alto
Culmine, eique tuum cerno ſub eſſe caput.

Nero-

Nempè mones quæcumque licet tibi regna ſubeſſe
Tradita ſint; huius nomen habere cupis.
Et ſi quærentes cupiant te forte repertum;
Vno hoc in regno te reperire queant.

In idem argumentum.

Diue, tuum nil dulce magis quam nomen; & ore,
Dum ſonat hyblæi nectaris inſtar erit.
Id, crucis ipſe tamen faſtigia celſa tenere
Ambis; fellis vbi eſt triſtis amarities.
In mores abiere meos mea nomina, par eſt
Nil mihi, nil illis, dulcius eſſe Cruce.

A Pilato, hic titulus inſcribitur.

Sunt latijs tua ſcripta notis, ſunt ſcripta pelaſgis,
Et ſunt hebræis nomina ſcripta notis.
Supra hominum fortaſſe fidem, te talia paſſum
Nempè videbatur, publicus auctor adeſt.
Vel prior ille tuus quia non aſpectus adeſſet;
Vt notus fieret, nomen adeſſe iubes.

Spinis coronatur.

Arboreum quodcumque genus regnare recuſat;
Dumeus hæc vnus vult ſibi regna rubus.
Priſca olim, vatum nunc vera oracla probantur,
Diue, tuo rubus in vertice regna locat.

Cla-

Clauis manus transfiguntur.

Tranſadigant bini binas quòd cuſpide claui,
Affigantque Cruci, ne vereare; manus.
Quin tibi donorum magis experiere profuſas;
Nam per aperta magis vulnera dona fluent.

Crucem baiulat.

Crux humeris nunc geſta tuis, mox iſta viciſſim
Te geret, & gratum grata rependet onus.
Illam quòd tuleris, decorum faſtigia præbes.
Quòd te ſuſtineat, par dabit illa decus.
Et te vincentem quæ crux dabit eſſe, triumphos,
Per te eadem victrix, ſemper in orbe feret.
Vos, ſtabile hoc inter conſtabit fœdus amoris.
Crux tecum ſemper, cum cruce ſemper eris.

Medius inter latrones moritur.

Latronum te pœna manet, mediuſque latrones
Tu geminos inter fata ſubire cupis.
Non nouere ſatis tibi queis inſiſtere furtis
Sit placitum? cordi quæque rapina ſedet?
Anne luis pœnas, quòd putrida corpora letho
Abſtuleras? manes quòd populatus eras?
His furtis non finis erit. Dum furta latronis
Corripiunt fures, in Cruce, diue rapis.
Maior, diue, tuis vis creſcat gloria furtis?
Me mihi ſi rapias, gloria maior erit.

Dum medium ſilentium tenerent omnia Chriſtus naſcitur.

Dat nullos leuis aura ſonos. Silet æquoris vnda.
Cuncta tenet placidus nocte ſilente ſopor.
Cuncta putem tacuiſſe tui natalis ad ortum,
Nam decet infanti conticuiſſe Deo.

De eodem die Natali.

Eſte procul gelidis animoſæ flatibus auræ.
Flamina, triſtis hiems frigida pelle procul.
Cordis, hic ætherius ſibi flamina, vendicat ignis
Pectoris arcanas ventilet aura faces.
Si qua tamen gelido ſummurmuret aura ſuſurro,
Diſcat, ab infantis corde, referre faces.

In Chriſtum cruci ſuffixum.

Impietas ne plaude tuis tam læta triumphis,
Fixa quòd arboreo ſtipite membra vides.
Hæc erecta ſuper tibi crux dabit alta ruinam;
Quæ tua iam ſteterunt regna, caduca ruent.
Cernis vt ex imis tellus labefacta tremore?
Proludit ſubitis caſibus illa tuis.
Nec ſpes vlla fugæ, fruſtra condere latebris.
Abdita tartareis inueniere locis.

Alapa Chriſto infligitur.

Auſa nefas tantum non arſit vindice flamma
Dextra, nec egelidus facta repente cinis?

An-

Ante vel illa genas, ſtygio quàm verberet auſo,
Non ſtetit in medio tramite truncus iners?
Obſtat amor, tanti eſt non præceps criminis vltor.
Non hic vlciſci, parcere nouit amor.
Oſcula ſuſtineat labris impreſſa doloſis!
Hanc, minus eſt, alapam ſuſtinuiſſe genis.

In idem argumentum.

Non tua, dextra, vnquam dabitur ludibria condi.
In faciem, cunctis probra nefanda patent.

In Iudam.

Stulte, Deum pretio tam vili, vendis Iuda?
Impoſuit tibi nunc ſubdola auaritia.

In eandem dexteram alapam infligentem.

Quæ te pœna manet manus impia? dentibus eſca
Vipereis eris, an præda voranda lupis?
Sit quæcumquè fames, quamuis impaſta ferarum,
Horreſcet talem frangere dente dapem.
Ipſe vel infernus, te reſpuet ore trifauci
Cerberus. Harpyiæ te renuiſſe queunt.
Ignis edax an forte voret? lingua ignea noſtræ
Eſſe negat flammæ! forſitan orcus edet.

In Chriſtum, crucem baiulantem.

Fers humeris quam diue Crucem, mox ipſa viciſſim
Te feret, officio certat vterque pari.

M *Quòd*

Quòd tuleris tibi regna dabit, te quòd ferat, illi
Orbis cuncta olim ſubdita regna dabis.
Te tua Crux tribuet ſublimi è monte videndum.
Cum venies iudex, illa videnda polo eſt.
Vos inter ſocialis amor, fœduſque perenne
Conſtabit, nunquam te ſine, Crux aderit.

Sitio.

Vrere quin ceſſas diam ſitis arida linguam?
Quin tuus à Dijs faucibus ardor abeſt?
Subſidium laticis potus præſtabit aceti.
Dulcis & hauſtus aquæ, fellis amaror erit.
Impia gens hominum tali benefacta rependis
Munere? ſunt tales rite in amore vices?
Ille tibi patris prece ſupplice mitigat iras.
Felle, tuus vindex aſperat ora furor?

Chriſtus columnæ alligatus.

Dia tenet qui membra lapis, vincliſque coercet,
Duritiem cuperet depoſuiſſe ſuam.
Sed tuus obſtat Amor, qui talia vincla repoſcit;
Obſtat & ipſe dolor, qui tibi dura cupit.
Et qua nixus eras, ſtabilis manet ipſa columna,
Ne in te, ſpes hominum nixa, caduca foret.

In idem argumentum.

Nil opus hic vinclis. Soluas hæc vincla Satelles.
Firmius hæc duro in marmore nectet amor.
Magnanimumque pudet nexus hos ferre dolorem.
Non decet vt pœnis meta ſit iſte lapis.

Par

Par dolor eſſe auſis ambit pugnator Amoris.
Quæque & Amoris erit palma, doloris erit.

Tentatur Chriſtus in deſerto.

Luce quaterdena ieiunia longa tuliſti,
Vlla nec vnda ſitim, nec leuat eſca famem.
Eſuries tandem ſubijt, atque ardor edendi.
Protinus & ſtygius ſurgit ad arma dolus.
Quando, inquit, collecta fames, te impellit ad eſcas,
Verti hæc in cererem ſaxa repente iube.
Sed reſponſa tulit, non ſola hac viuitur eſca;
Aſt etiam eloquio cælite vita viget.
Callide tentator, prior hic, retrò vertitur aſtus.
Non habuit faciles ſaxa per iſta vias.

Petrus ſerui aurem amputat.

Irruit in famulum tua vindex dextera ferro;
Illius atque aurem cuſpis adacta ſecat.
Es ſubito increpitus, gladiumque recondere iuſſus.
Et famulo eſt cæſa reddita in aure ſalus.
Dia tibi vulganda fides, hæc poſcit amicas
Aures, infenſa non ſubit aure Fides.

Petrus ad Chriſtum.
Non mihi lauabis pedes.

Æternùm mihi, diue, pedes non laueris? at tu
Ni lauet vnda pedes, deſinis eſſe caput.

De eodem.

Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.

Sic ais, ipſe prius crudelia fata ſubibo,
Quàm te mendaci perfidus ore negem.
Ante dedit quàm ter cantus criſtata volucris,
Argueris trini criminis eſſe reus.
Auſa minus verbis hæc grandia diſce profari.
Non hæc lingua loquax, facta ſed auſa probant.

Et tu in eadem damnatione es.

Iactantem prauum conuicia fœda latronem
E cruce tu melior corripis ore latro.
Noſtra crucem nobis meritam male facta rependũt,
Inſons immeritam cur ferat iſte crucem?
O pie latro, pios monitus hic aure probaſſet?
Hoc poterat furtis eſſe corona tuis.

Chriſtus crucem baiulans.

Supponas, bone diue, Cruci tua terga trabali;
Inſtrumenta tuæ neue repelle necis.
Crux erit emeritum Mortis mox iſta feretrum.
Nex vbi cæde necat, cæde necanda venit.
Mors, tibi non eadem ſors arboris, attulit ortus
Illa prior; funus ſed feret iſta tuum.

In ſacrum ſudarium.

Terge libens Diuo rorantes Sanguine vultus.
Hoc Berenicæum tela loquetur opus,

Eſ:

Effigiem, namque ipſa pio furabitur auſo.
Oraque Sanguineis exprimet vſque notis.
Hæc, ignaua hominum tibi, gens ſit tela magiſtra.
Quid facias grato munere diſce memor.
Tela notas oris potis eſt retinere cruentas;
Illas tu memori mente tenere nequis?

In idem argumentum.

Aſpice quanta tuis reſpondet gratia factis?
Et quantum è terſo Sanguine munus habes!
Præſtita pura tibi tergendo eſt tela cruori.
Sanguinei eſt vultus reddita imago ſui.
Ipſe ſui vultus pictor, picta ora cruore,
Omnia ſunt factis reddita dona tuis.

Latro.
Memento mei dum veneris, &c.

Poſt tua fata, tuum regnum dum Diue, ſubibis,
Te memorem teneat cura benigna mei.
Hæc tua non ibunt in caſſum vota precantis.
Mecum hodie, cæli regna tenere dabo.
Egregiam hanc aliјs furtis, Latro, adde rapinam;
Hoc citius dicto, regna beata rapis.

De S. Petro.

Criſtatæ ad cantum reſipiſcis, Petre, volucris;
Et trinum emerito diluis amne nefas.
Obruerat nox atra tuam, mentemque veternum.
Suſcitat hanc merito, nuncia Solis, auis.

 Chri-

Digitized by Google

Chriſtus infans dormit.

Dulce ſaporatos infans dum claudit ocellos
Matris in amplexu, virgineoque ſinu.
Somnule, ſcire cupis, vigili quid mente reuoluat?
Quæque per obtutus iugis imago meet?
Quadrifidæ ſimulacra Crucis ſibi viſa recurrunt.
Somne, places illi, ſis quòd imago Necis.

Chriſtus ſpinis coronatus.

Nazarium dederunt flores, ſi nomen habere.
Cur tua dumoſo tempora ſente rigent?
Conditio iſta mei regni eſt. De ſente corona
Texta præit; ſequitur floribus vſque nitens.
Serta meis aduerſa gerit malè ſana voluptas.
Flos præit; inde ſequax ſpina, perennis erit.

Lauat diſcipulorum pedes.

Hos tibi redde pedes gratos; pura ablue lympha.
Te diſcant memores, & tua iuſſa ſequi.
Officij immemores; abluti ſordibus, vnum,
Te capto, hoc diſcunt; carpere poſſe fugam.

Iudas venditor Chriſti.

Venditor ignauus, ſtolidus mercator, olympum
Tam vili pretio vendit, & ære Deum.
Hic valeat quanti, tu dæmone diſce magiſtro.
Obtulit illi orbem, flecteret vt genua.

Chriſtus natus.

Lux tibi natalis nocturnis obtigit vmbris.
Natalemque diem frigida vexit hyems.
Hæc quoque virgineum ſociant miracula partum
Vt vebat vmbra diem, flagret & igne gelu.

Petrus cædit ſerui aurem.

Ore minax, promptuſque manu Petrus ardet in arma;
Et famuli, vindex amputat auriculam.
Sed tamen arguitur; gladiumque recondere iuſſus.
Inque aure eſt famuli à vulnere facta ſalus.
Hæc etenim, dius præbet documenta Magiſter,
Auribus, eſt famulum turpe carere ſuis.

Diua Maria Magdalena ad Chriſti pedes.

Stat dios complexa pedes pia Magdala; fletu
Vda rigat; paſſis tergit & inde comis.
Cur ſoli meruere pedes hoc munus amantis?
Maxima cur ſoli cura dolentis erant?
Deuia iam dudum, & rectos inſiſtere calles
Neſcia, nunc fidos hos tenet illa duces.

Interrogatur Chriſtus, quid ſit veritas.

Quid ſit vera loqui, bone Diue, rogaris in aula
Iudicis, & mutus reddere verba negas.
Nempè vbi veridico nunquam fas ore profari,
Vera loqui, quid ſit; ſermo nefandus erit.

Non hunc, ſed Barabbam.

Ad quæ liuor edax non ſurgit criminis auſa !
Quod non perfidiæ prodit ab ore nefas ?
Graſſatoris eant malefacta impune cruenti.
Supplicium ſubeat, quem benefacta tenent.
A nece ſit liber, qui tot nece latro peremit.
Qui vitam dederit mortis habeto reum.

In Chriſti Crucem.

Arida naſcenti tibi cunas præbet ariſta ;
Et ſtipulas inter membra tenella locas.
Arida crux etiam morientes ſuſtinet artus ;
Quadrifidoque locas membra ſupina toro.
Eſt tuus ingenioſus Amor. Sibi pabula quærit
In feretro, & cunis, ignibus apta ſuis.

De lateris vulnere.

Sponte quòd occideris, vitamque profuderis vltro,
Poſt obitum, hæc lateris plaga cruenta manet.
Vulnera, non ſatis explerant tua vota manente
Vita ; extinctus adhuc vulnera poſcis amans.

Pater ignoſce illis.

Perfida gens, diſcas, moriens quid voce parentem
Oret ; quæ eloquio ſupplice dona petat ;
Da Pater ignaris veniam. Male facta nocentum
Excuſes, mentes cæca libido rapit.
Hæc quanta eſt pietas, atque igneus ardor amoris !
Pocula poſt fellis, nullus amaror erat.

Cæ-

Cœpit panere, tædere, & mæſtus eſſe.

Sic certare licet? pugna, certatur iniqua?
Hoſtis te contra ſurgit ad arma triplex.
Obſidet hinc mæror; trepidus pauor inde laceſſit.
Parte alia obſeſſum tædia lenta tenent.
Sed tua magnanimis virtus non deficit auſis;
Arma moues donec membra cruore fluant.
Cernis humi ſtratum? trepido ne crede pauori
Succubuiſſe? vides roboris auſa ſui?
Quæ venit nocturna cohors innectere vincla,
Voce vna ſtrata eſt tota repente ſolo.

De Iudæ oſculo. Chriſto dato.

Hanc procul amoueas oris, fædiſſime, peſtem.
Turpe venenatis oſcula pelle labris.
Non ſimilem exhalant cocyti ſtagna mephitim,
Non graue ſit ſtygiæ ſtagna paludis olent.
Halitus eſt iſto lernææ mitior Hydræ.
Peſtiferoque minus, Cerberus ore nocet.
Crediderim potaſſe libens data pocula fellis,
Perfido vt afflatam tergeret ore luem.

De Chriſto Cruci affixo.

Suffixum te, Diue, Cruci dum cernimus, oro
Quid tuus à nobis iure repoſcit Amor.
Vt mea membra manent trunco ſuffixa trabali,
Sic veſtra fixus mente maneret Amor.

Chriſtus natus.

Naſceris, & viridi tellus veſtitur amictu;
Aridaque inſueto vere renidet humus.
Hæc ſuſpexit hyems, miracula læta, niuali
Tempore, & horrenti lympha coacta gelu.
Veris an iſta noui myſteria diſcere quæris?
Non ſine, Nazarium, floribus eſſe decet.

Chriſto naſcente oleum fluxit.

Te naſcente, ferunt, oleo manaſſe propinquos
Amnes, & liquida Pallade fluxe ſolum.
Conciliare poli venias quòd fœdera terris,
Has tibi oliuiferas conuenit eſſe notas.
Quid quod ab effuſo tibi ſit cum nomen oliuo,
Nominis iſta tui ſymbola iure geris!
Et ſacra paciferi tibi tradita nomina Regis
Vnguine palladio iure ſacranda forent.

Chriſti ſudor Sanguineus in horto.

Ardet anhelus Amor diuini Sanguinis hauſtum.
Qui fluet è multo vulnere lentus erit.
Hic ſponte exiliens, nec ferri cuſpide manans
Inflicta, votis aptior hauſtus erit.
Per plagas effuſa Dolor ſibi pocula poſcat.
Hæc, quæ ſponte fluunt, mitia poſcit Amor.

Stabat Mater doloroſa.

Stabat amara tuens Mater ſpectacula, natus
In Cruce dum turpi cæde peremptus erat.

Ta-

Talia ſpectanti fuerit quòd vita ſuperſtes,
Inuenient dubiam ſæcla futura fidem.
Non vnam Nati feriebant vulnera partem;
Corde ſed in ſolo vulnera Matris erant.

Ad puerum Ieſum in matris amplexu.

Vtra tibi ſunt grata magis, quæ brachia collo
Nunc puer, amplexo, nexa parentis habes
An quæ quadrifido trunco diſtenta trabali,
Summo elata iugo, Crux tibi nexa dabit?
Vtraque grata mihi, nullo diſcrimine amoris.
Vtraque ſunt votis vſque petita meis.
Diſſidet hoc vnum, dulcem dant illa ſoporem
Patris in obſequium dulciùs iſta mori.

Chriſtus Spinis coronatus.

Ambitioſe dolor, mæſtas depone querelas,
Æmula quod ſolus ſceptrà regebat Amor.
Dumea temporibus, cernis, tibi ſerta parantur!
Purpura, & in ſceptrum, ludicra arundo datur?
Hoc tamen imperio tantùm ne incede ſuperbus!
Regna quòd iſta geras dumea; fecit Amor.

De muliere Samaritana.

Omine quàm fauſto properat Samaritis ad vndas,
Et gelidam è puteo ſumere tendit aquam.
Nam quæſita venit, ſitienti pocula lymphæ
Tradere, & arentem rore leuare ſitim.
De generi de gente negat. Sed munera lymphæ
Quàm meliora tenet. Nulla erit inde ſitis.

Elo-

Eloquijs his, diue, tuis cæleſtibus arſit.
Sumere venit aquas, rettulit inde faces.

Virgo Maria ſine labe concepta. Diſticon.

Illimis, pia Virgo, tuus conceptus habetur,
Nempè quòd Adami non olet ille lutum.

Aliud.

Infantem paritura Deum, ſine labe parentum es
Edita, ne in natum probra parentis eant.

Aliud.

Maternis infans inhias cur diue papillis?
Vbera quòd ſtygio è felle tulere nihil.

Aliud. Speculum ſine macula.

Hæſit nulla leuis ſpeculo maculoſa litura.
Longè, quæ afflarent, ora Draconis erant.

In diem natalem Deiparæ.

Exere natalem, genitrix paritura tonantem;
Quæque geres Solem prome ſerena diem.
Lux tua cæleſti terras afflabit eoo.
Et mage, luce tua clarus olympus erit.
Auroræ dixere parem te oracula, deme hoc;
Illa gerit lacrymas, gaudia, nata geres.

Chri-

Chriſtus in Præſepe naſcitur.

Naſcenti præſepe Deo decernit olympus,
Hic reperire hominum poſſet vt ille genus.

Nox Chriſti Natalis.

Quæ maiora vnquam miracula videris Orbis!
Nempè ortum Solis noctis vt vmbra ferat.

Chriſtus infans in Matris complexu dormit.

Matris in amplexu claudentem lumina ſomno,
Mens pia, peruigili lumine cerne Deum.
Somne vafer, mihi crede ſapis, qui brachia matris
Inter ades, nuſquam illi eſt mage grata quies.
Sed nunc infanti. fuerit dum numen adultum,
Inter, forte Crucis brachia, maior erit.

Chriſtus amiſſus, in templo repertus.

Matris amor, nate, & caræ pia cura parentis
Quo te deſertum, diue, tulere pedes?
Affines inter, cognato & ſanguine iunctos
Quæreris, & fruſtra cura laboris abit.
Sed tandem Solymæ dederunt te templa repertum:
Nempè hæc, vt matrem deſerat, vna valent.

B. Virgo Maria Cruci adſtans.

Conditio quæ dura tui, bona diua, doloris?
Cernere dum natum ſuſtinuiſſe potes?

Vul-

Vulnera figit Amor, dolor & ſua vulnera figit.
Vtra magis crucient, ore referre nequis.
Cuſpide ſæuit atrox in nati membra ſatelles.
Et tua corda dolor, corda cruentat amor.
Vna ſed eſt maior pœnarum acceſſio, natus
Quod moritur, vita nec tibi finis erit.

Ad B. V. M. à niuibus dictam.

A niuibus nomen, Virgo, ſortita niuale,
Congrua nominibus munera, diua, dato.
Corda niues iubeas puro candore referre,
Et noſtra nulla corda calere face.

Super illud. Sitio.

Ardet anhela ſitis morientis, feruet ab æſtu
Cordis, & egelidæ munera poſcit aquæ.
Cuius, cerua, latus lethalis fixit arundo,
Non ſic, vſta cupit fonte leuare ſitim.
Nullus erit, qui parua ferat ſolatia lymphæ?
Qui ferat arenti pocula, nullus erit?
Non veniunt longè quærendi è fontibus hauſtus.
Non procul è ſcatebris vnda petenda venit.
Ex oculis haurire licet. Modò fleueris; vna
Lacrymulæ, hanc poterit lympha leuare ſitim.

Chriſtus purpura induitur.

Purpureo, impietas, illudere credis amictu?
In probrum iſte tuum, turpis amictus erit.
Hæc ludicra tuum ſpoliabit purpura regnum.
Huic ſpolio exuuias tartara victa dabunt.

Digitized by Google

Ante oculos ſuſpenſa tuos clamys iſta cruenta
Vſque erit, à pugna non erit vlla quies.

In Chriſti morte Sol obſcuratur.

Sol refugit, cædemque Dei ſpectare recuſat;
Ne crede iratum. Crede ſed eſſe pium.
Ne, peccaſſe genus tantum mortale, pateſcat,
Se refugum condit, condat vt vmbra nefas.

In idem argumentum.

Hanc noctem, moriente Deo, ne dixeris vnam,
Fit ſimul hæc, gemino Sole cadente, duplex.

Chriſtus ſpinis coronatus.

Gaudia prome dolor, mæſtis abſiſte querelis.
Quod dudum optarant, vota petita tenent.
Triſtis eras quòd nulla forent inſignia regni;
Sceptra nec vlla tibi, ſerta nec vlla forent.
Et tua ſenticomis cinguntur tempora ſertis.
Et ſceptrum decorat, ludicra arundo manum.
Has Regis ne ſperne notas, qui reſpicis, vnum
Hoc decus eſt Regni, dumea ſerta pati.

Quomodo literas ſcit cum non didicerit.

Nil vnquam didicit; nullo puer ante magiſtro
Vſus, qui docto ſic potis ore loqui?
Scire ſuum vobis tantum non diſplicet, illud
Forte magis; quòd vos arguit inſcitiæ!

Chri-

Chriſtus in columna flagellatus.

Quid tua, lenta moras nectit lux aurea Phœbe?
Quid lunare iubar, Cinthia, pigra moues?
Conditor en veſter, nudatus membra, Cylindro
Vincitur; crebris ſubditur ille flagris.
Mitis ab innumeris venit illi pœna flagellis.
Dant oculi obtutu vulnera ſæua magis.
Impietas ne plaude tuis tàm læta triumphis?
Neue oculis probra hæc, læta tuere tuis.
Perniciem, maleſana, tuam vertentur in vnam.
Dedecus inque tuum probra maligna cadent.
Marmorea hac tandem infelix frangère columna.
Iſta catenatam, te ſua vincla dabunt.
His, inuita licet, ſemper plectère flagellis,
Hæc de te ſpolium, corpora nuda ferent,

Conſummatum eſt.

Mors feſtina veni; tibi iam conceſſa poteſtas
Numinis in vitam, cuncta peracta vides.
Sed non læta diu hac fueris Mors cæde. peremptus
Te perimet. Sua crux, crux tua triſtis erit.
Quæ probra, mors, vnquam poteris maiora ſubire?
Mortuus vt Morti quòd pote ferrę necem.

Cœco nato viſus datur.

Lux tibi natalis quàm felix contigit; ortum
Quæ gemino caſſum lumine habere dedit.
Hæc oculis nox atra tuis namque indita, Solis
Non ſueta occidui luce fuganda venit;

Ipſe

Ipſe ſuis radijs, æterno lumine fulgens
Hanc oculis noctem, Sol procul eſſe dabit.

In ſpineam coronam.

Senticomi vepres, terræ ſeges horrida dumis;
Dedecus hæc veſtrum ſpinea ſerta leuant.
Priſca olim immemores poſt hac dediſcite probra
Hiſpida damnato germina nata ſolo.
Nunc capitis regalis honor frontiſque verendæ
Deſpicite è ſummo vertice damna ſoli.
Dulce magis pietas nil veſtris ſentibus ambit.
Nectar & hinc dius ſugere diſcit Amor.
Quæque diu eſt fluxos flores ſectata voluptas,
Nuſquam, quam in veſtris ſentibus eſſe cupit.

Sol obſcuratus in Chriſti morte.

In noctem qui tantus amor? quæ tanta voluptas?
Natalem profers, nocte ſilente, tuum.
Neue etiam ad Solis radios morerere diurnos,
Nox ſubita eſt tenebris condere iuſſa diem?
Naſcenti placuit, mea ne benefacta paterent.
Dum morior placuit, condat vt vmbra nefas.

S. Petrus in monte Tabor. Bonum eſt nos ſic eſſe.

Hic habitemus ait; Sedes hic figere detur.
Hoc erit in Montis culmine noſtra quies.
Te ſic immemorem reddat breuis iſta voluptas,
Vt tibi decretum munus obire neges!

Orbe peragrantem te toto expectat olympus.
Dia fides ſtabit robore nixa tuo.
Non hic Montis apex, & gaudia fluxa petenda.
Septenum ad collem te Tybris ora vocat.
Tunc, ibi cum fueris, bene, dixeris; hic mihi ſedes.
Quam nunquam fluxam Tybridis vnda dabit.

Chriſtus crucem baiulans.

Hoc, quod fers humeris ſingultu pondus anhelo
Imponas humeris, te rogo, diue, meis.
Siccine me ludis? tua crux tibi lata libenter
Non eſt, & cupies tu modo ferre meam?

Chriſti mors.

Ad Solymam verſis humeris; tua fata ſubiſti.
Vrbs, ſole auerſo, mox eris occidua.

Filius Viduæ rediuiuus.

Mors ignaua viam flectas? occurris eundo
Hoſti, ſunt media furta reperta via.
Vnus, matris amor, tibi raptus flore iuuentæ
Filius. Hunc tumulo condere iniqua paras?
Per medias, non iſta vias toleranda rapina eſt.
Hic furti pœnas ſanguinolenta dabis.
Qui feretrum lethale ferunt ſunt ſiſtere iuſſi.
Iuſſus & è feretro ſurgere voce puer.
Pallida conticuit probroſo victa rubore
Mors; feretro ad tumulum turpe reuecta ſuo eſt.

In-

Interrogatur Tartarus.

Eſt nocitura tibi quando mors numinis, illam
Cur tam ſollicitè Tartare ſtulte moues?
Vis mea cum nequeat morituro obſiſtere, ſaltem
Hoc teneo. Multos criminis eſſe reos.
Et mea quæ video creberrima damna futura,
In genus illa ſuum protinus icta cadent.

Chriſtus circumciſus.

Quàm tibi difficilis prior eſt ingreſſus in Orbem?
Vulnificos infans incidis in lapides.
Nempè fauet votis prima hæc inflicta cicatrix
Paruula, & in tenero corpore plaga prior.
Cum mage dura tibi, & longè maiora ſuperſint
Vulnera; in exiguis prima pericla facis.

Inſiti mea potauerunt me aceto.

Hircanis æquanda feris Iudæa propago
Hæccine munifico reddis iniqua Deo?
Porrigis, extremùm ſitienti, pocula aceti.
Aſpera dona, tuis moribus apta ſatis.
Illa admota ſuis, ſummis hæc pocula labris
Attigit, admotis ore; bibiſſe negat.
Nempè rogaturus ſupplex pia dona parentem;
Ne foret aſperior lingua, cauebat amans.

Orbe peragrantem te toto expectat olympus.
Dia fides ſtabit robore nixa tuo.
Non hic Montis apex, & gaudia fluxa petenda.
Septenum ad collem te Tybris ora vocat.
Tunc, ibi cum fueris, bene, dixeris; hic mihi ſedes.
Quam nunquam fluxam Tybridis vnda dabit,

Chriſtus crucem baiulans.

Hoc, quod fers humeris ſingultu pondus anhelo
Imponas humeris, te rogo, diue, meis.
Siccine me ludis? tua crux tibi lata libenter
Non eſt, & cupies tu modo ferre meam?

Chriſti mors.

Ad Solymam verſis humeris; tua fata ſubiſti.
Vrbs, ſole auerſo, mox eris occidua.

Filius Viduæ rediuiuus.

Mors ignaua viam flectas? occurris eundo
Hoſti, ſunt media furta reperta via.
Vnus, matris amor, tibi raptus flore iuuentæ
Filius. Hunc tumulo condere iniqua paras?
Per medias, non iſta vias toleranda rapina eſt.
Hic furti pænas ſanguinolenta dabis.
Qui feretrum lethale ferunt ſunt ſiſtere iuſſi.
Iuſſus & è feretro ſurgere voce puer.
Pallida conticuit probroſo victa rubore
Mors; feretro ad tumulum turpe reuecta ſuo eſt.

In-

Interrogatur Tartarus.

Eſt nocitura tibi quando mors numinis, illam
Cur tam ſollicitè Tartare ſtulte moues?
Vis mea cum nequeat morituro obſiſtere, ſaltem
Hoc teneo. Multos criminis eſſe reos.
Et mea quæ video creberrima damna futura,
In genus illa ſuum protinus icta cadent.

Chriſtus circumciſus.

Quàm tibi difficilis prior eſt ingreſſus in Orbem?
Vulnificos infans incidis in lapides.
Nempè fauet votis prima hæc inflicta cicatrix
Paruula, & in tenero corpore plaga prior.
Cum mage dura tibi, & longe maiora ſuperſint
Vulnera; in exiguis prima pericla facis.

Inſiti mea potauerunt me aceto.

Hircanis æquanda feris Iudæa propago
Hæccine munifico reddis iniqua Deo?
Porrigis, extremùm ſitienti, pocula aceti.
Aſpera dona, tuis moribus apta ſatis.
Illa admota ſuis, ſummis hæc pocula labris
Attigit, admotis ore; bibiſſe negat.
Nempè rogaturus ſupplex pia dona parentem;
Ne foret aſperior lingua, cauebat amans.

De Pilato.

Innocens ego ſum à Sanguine iuſti huius.

Sunt tua verba tuis, Iudex, contraria factis,
Iudice te, innocuum, vis tamen eſſe reum.
Nil lauiſſe manus pura iuuat, impie, lympha,
Effuſi quando Sanguinis auctor eris.
Recta ſequi prohibet regnandi praua cupido.
Stet fauor infractus Cæſaris, æqua ruant.
Heu miſeranda Themis; vel pondere ſterneris auri,
Vel valido nimium preſſa fauore, iaces.

De bono latrone.

Spem tibi det Latro; at nimium ne fide Latroni.
Perdidit heù quantos vnius iſta ſalus.
Vt tibi dux vitæ, Latro queat eſſe; ferenda
Vna tibi exemplo crux morientis erit.

Chriſtus Circumciſus.

Progenies ignaua hominum, male grata propago,
Cernis vt in nato Numine creſcat amor?
Ex oculis nuper lacrymarum dona profudit.
Nunc te Sanguineo munere ditat Amor.
Quæ memor his etenim benefactis dona rependis?
Quæque tibi gratæ ſunt in amore vices?
Nec durata gelu molleſcere pectora fletu,
Saxea nec dio corda cruore queunt?

De

De Iuda proditore.

Turpe nefas hominum; generis probrumq; pudendũ,
Quæ te poſt obitum digna ſepulcra tegant?
Corpus erit nuſquam. Sceleratis artubus, vrnam,
Ne ſint fœda, tuis nulla elementa dabunt.
Perfidia victum, renuet te fluctibus æquor.
Reſpuet & talem piſcibus eſſe dapem.
Terra tuos artus æquè indignata repellet.
Perfidiæ monſtrum tale, dediſſe pudet.
Omnia quæque vorat, nullo diſcrimine, flamma;
Impaſta, in cineres vertere membra negat.
Qui te ſuſpenſum laqueo malè ſuſtinet aer;
Hanc Erebi peſtem ſuſtinuiſſe dolet.
Nec ſtyx atra libens te ſuſcipit, ipſa coacta
Te accipiet, quando non locus alter erit.

De eodem Iuda.

Hæc ſunt hauſta tibi tanto documenta Magiſtro?
Dius Amor docuit, prodere doctus eris?

S. Maria Magdalena ad Chriſti pedes.

Quid tantum meruere pedes? das oſcula, fletu
Prona rigas, paſſis tergis & inde comis!
Conciliare iuuat, tenuit me deuius error;
His dabitur rectas tendere poſſe vias.

Chriſtus ad Petrum. Petre amas me.

Conſtet amor tuus erga illum, ter Petre, rogaris?
Cui mage, reſpondes, quàm tibi notus amor?

Im-

Immò, quòd hoc toties quærat, fers ægrius; anceps
Quod tua forte foret, ſic in amore fides.
Sed verbis confeſſus amor non prodet amantem.
Ingenuus, factis ritè probandus amor.
Ter teſtatus amor, tibi ter venit ore negatus.
Conijce ſit verbis, quanta in amore fides?

Chriſtus Gethſemani hortum ingrediens.

Eſt tibi perfacilis Cedronis tranſitus amnis.
Et te, nullus erit, mergat vt vnda, timor.
Sed mox Gethſemani vt virides intraueris hortos,
Altius ad pœnas ingrediere ſalum.
Quæ trabs vna potis ſubducere fluctibus, illa
Te tandem ſiccis obruet acta vadis.

In Chriſti Sanguine.

Quo te, dic, rubens appellem nomine ſanguis?
Vnde queam laudes conciliare pares?
Roſcidus imber eris, pluuio de corpore, & æſtus,
Et cordis nocuas merſeris amne faces?
An mage pæonius purgandis ſordibus Orbis
Iſta Amor edoctus pura lauacra parat?
Nil trepides Pietas, ſceleri fera ſigna cruenta
Sunt poſita; ad pugnam ſigna cruenta cient.
Sanguis erit vindex, circum vallaberis iſto
Flumine purpureo, merſus & hoſtis erit.
Sume animos venerande Pudor, tibi militat vnda
Sanguinea hæc, Veneris perdere nata faces.
Voſque alacres, Fidei defendite iura Gradiui;
Hic palmas, miſto ſanguine, ſanguis alet.

Chriſtus puer cruces format.

Parue puer, tua dextra cruces tibi fingere, gaudet
Paruas; atque oculis appoſuiſſe tuis.
Sed non in parua ſolers tua cura quieſcit.
Eſſe parem votis ardet anhelus amor.
Quàm tactu facilis tibi nunc crux iſta videtur
Aſpera tàm manibus crux erit illa tuis.

Chriſtus natus.

Nos contra, quæ bella gerit, dediſcat olympus.
Vltor olympiacus ponat & arma furor.
Æterno genitore ſatus, conceditur obſes
Paruulus; vlterius dedecet arma ſequi.
Corporea compage Deum, vincliſque tenemus!
An poterit contra ſurgere in arma polus?

Ecce homo.

Cum non vlla hominis ſpecies, vultuſque prioris
Forma ſuperſtes erat, ſubdere nomen opus.
Sed magis irritas, hominis cum nomina profers.
Non homines iſtos, crede ſed eſſe feras.

De bono Latrone.
Memento mei.

Cum tua poſt mortem cæleſtia regna capeſſes,
Te teneat memorem cura benigna mei.
Pone metum latro. Mecum ingredieris olympum.
Nec mora longa diu. Lux dabit iſta polum.

E cru-

Digitized by Google

E cruce ſic lata, breuis eſt aſcenſus ad aſtra.
Vna dabit faciles ad mea regna vias.

Piſcatores Chriſtus vocat.

In piſcatores ſolers tua cura laborat.
Præcunctis ſocios quæris habere tuos.
Littoreæ tantum meruerunt æquoris vndæ?
Tanti, piſcatrix Turba fauoris erat?
Sic captare homines iuuat, hac eſt arte vacandum
Ingenij multi; ne labor extet iners.
Nunc hamus dulci refugos trahat abditus eſca,
Vt veniat facilis præda trahenda polo.
Expanſi ad captum tibi ſit quoque retis & vſus,
Plurima vbi ad captum præda trahenda datur.
Ars vbi non mollis ſatis eſt; tibi fuſcina dura
Præſtet opem ſolo à vulnere præda tua eſt.
Sic tamen ad votum piſcandi munus obibis,
Si minor ad captum magnaque præda venit.

In illud.
Non eſt mortua puella ſed dormit.

Præproperè vitam abſtulerat Mors atra puellæ.
Non Mors illam, inquis, ſomnus at altus habet.
Mors aurita ſonos tales cum percipit, hærens
Ridet an his dictis poſſit ineſſe fides.
Iuſſis illa tuis ſubitò reſupina reuixit.
Mors noſce, an dictis vera reperta fides!
Exiguo fueris dum tempore corporis hoſpes
Quin meritò venias iure vocanda ſopor?

FINIS.

Digitized by Google